This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

101. a.
98.

600094716X

DE

SUPREMA CHRISTI COENA.

SCRIPSIT

FR. KOESSING.
Th. D.

HEIDELBERGAE.
EX OFFICINA REICHARDIANA.
1858.

101. a. 98.

BIBLIOTHECA · BODLEIANA ·

P. I. De proditione, quam Judas Iscariotes molitur, in coena revelata.

Jesus postquam convivium illud, in quo novi sui foederis coenam instituit, cum discipulis habuit, ab Juda Simonis filio Iscariote inimicis, qui necem ei intendebant, proditus atque postridie a synedris capitis damnatus in crucem actus est. Sex diebus ante diem festum paschatis Jesus Bethaniam venerat; ibi quum in coena, quae instituta erat, Judas a Domino cogitata sua perspecta esse cognovisset, brevi post facinoris peragendi consilium cepit et cum primoribus Judaeorum de Jesu tradendo pactionem iniit, id quod Jesus in supremae noctis coena discipulis suis his verbis pronuntiavit: Vere vobis dico, unum ex vobis, qui mecum accubatis, me proditurum esse. Quibus verbis apostoli confusi et attoniti ex eo quaerere coeperunt, quemnam diceret? Et cum Jesus id, quod modo dixisset, futurum esse confirmasset, Judas de coena discessit. Matth. 26, 21—25; Marc. 14, 18—21; Luc. 22, 21—23; Joh. 13, 21—30. Plerumque ita, quae his evangeliorum locis narrata legimus, inter se connectuntur; singula tamen si sequaris, complura occurrunt, quae in diversas partes ab interpretibus disputantur. Quaeritur enim, utrum ista proditoris significatio, cujus quatuor evangelistae mentionem faciunt, una fuisse, an saepius variis occasionibus oblatis repetita esse videatur; qua cum quaestione altera cohaeret, num inter scriptores hos sacros dissensio reperiatur atque in eorum narrationibus quaedam minus probabilia deprehendantur. Inter eos sacrae scripturae interpretes, qui Jesum iterum ac saepius id, quod Judas animo agitaret, indicavisse censent, sunt, qui ab evangelistis narrata in eadem quidem coena facta esse opinentur, sed ea, quae apud Johannem de ea re legimus, ab iis, quae Matthaeus et Marcus tradiderunt, sejungant, quin etiam Lucae narrationem de alia quadam significatione, atque ceterorum ejus rei auctorum expositiones praebeant, agere judicent.

Nonnulli vero ipsam coenam, in qua verba ab Jesu prodita esse Johannes auctor est, ab ea, de qua ceteri evangelistae commemorent, prorsus diversam esse statuunt. Tritissimam hanc quaestionem cum aliis, quae ad supremam Christi coenam pertinent, ut tractem, non id me impulit, quod eas controversias omnino me disceptaturum confidam, sed quod interprêtes quidam in scriptis, quae nuperrime prodierunt, a via recta rem expediendi nimium digressi eas evangeliorum locos exponendi rationes obnixe defendendas susceperunt, quibus causa denuo conturbetur. Ita Patritius[1] Dominum in vespera supremae noctis saepius proditorem diserte significasse dicit: Christus (verba sunt Patritii) quum esset in coenaculo, pluries locutus est de proditione, quam Judas jam erat exsequuturus, ter tamen apertius, quam alias, primo ante eucharistiam institutam eaque dixit, quae sunt in Matthaeo 26, 21—25 et in Marco 14, 18—21, secundo mox ab eucharistia instituta, quae legimus in Luca 22, 21—23, tertio, postquam apostolorum pedes laverat, quae Johannes retulit in 13, 21—26.[2] Plenius etiam et perfectius his locis narrata discindere conatus est Wichelhaus,[3] qui id, quod apud Johannem legitur, priori die quam quo coena sacra a Christo instituta est factum esse contendit, quam sententiam, etsi dissident de die, quo coena habita sit, proposuerunt Lightfoot, Bynaeus, Basnage,[4] Bengel, Christoph. Wolf, alii.

Si a quatuor evangelistis relata singulatim intuemur, Johannes Jesum discipulorum pedibus lotis prolocutum esse narrat: Puri estis, sed non omnes; hoc autem eum addidisse, quod

---

1) Francisci Xav. Patritii de Evangeliis libri tres. Friburgi Brisg. Libr. Herder. 1852—53.

2) L. c. lib. II. in adnotat. ad n. 157. p. 424—425; cf. p. 302—306. A variis priorum interpretum sententiis omnino discrepat Patritius, qui inter primam et secundam indicationem eucharistiae institutionem, inter secundam et tertiam pedum lotionem collocat. Tametsi complures ea, quae apud Matthaeum et Marcum leguntur, tam ab iis, quae tradit Lucas, quam ab indicatione ab Johanne relata diversa esse censent, ea tamen aliqua ex parte inter se cohaerere statuunt.

3) Versuch eines ausführlichen Commentars zu der Geschichte des Leidens Jesu Christi nach den vier Evangelien. Von Joh. Wichelhaus. Halle 1855. S. 154—163.

4) Cf. Lampe, Commentarius Evang. sec. Joannem, tom. III, p. 4—6, not. b, ubi eorum argumenta proferuntur atque refelluntur.

se proditurum novisset; cap. 13, 10. 11. Et mox iterum Jesum proditionem, quam Judas moliretur, significavisse verbis e psalmo (40, 10. Vulg.) repetitis: Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum; c. 13, 18; atque etiam disertius eam rem affirmasse: Amen, amen dico vobis, unum ex vobis me traditurum; c. 13, 21. Tum discipulos Johannes addit inter se circumspexisse dubitantes, de quo id dictum esset; et Petro impulsore discipulum, qui ad pectus Jesu recubuisset, e Domino quaesivisse, quem diceret. Cui Jesum responsum reddidisse: illum esse se proditurum, qui a se offam intinctam acciperet, simulque Judae offam patinae intinctam dedisse monitione addita: quod facturus esset, citius faceret. Quae verba neminem eorum, qui accubarent, intellexisse, praeter Judam videlicet, quem continuo quum nox esset discessisse apud eundem legimus; c. 13, 22—30. Ter itaque Johanne teste Jesus se proditoris consilia penitus novisse ostendit. Notemus illico, de Patritii explicatione non ter, sed quinquies sexiesve saepius intercapedine facta in illa coena de proditore sermonem fuisse, Jesum quodammodo nil nisi in Judam jaculatum esse significatione nec satis plana nec prorsus obscura idque Dominum fecisse verbis iisdem fere repetitis, apostolos autem non modo eorum verborum sententiam non percepisse, sed etiam denuo ac rursus eodem modo percussos atque consternatos Dominum ut de re nova quadam interrogasse, Judam denique multis demum animadversionibus et castigationibus acceptis de circulo abiisse. Etsi Judam hominum nequissimum fuisse judicamus, tamen non placet justo plus contumeliae in eum conferre, quod ii faciunt, qui, ut pervicaciam atque obstinationem ejus admodum horride depingant, quam saepissime eum monitum esse describunt. Quid, nonne tres illi monitus — primus enim et secundus Judae non minus plani et evidentes erant, quam tertius — omnino sufficiebant, si homo erat ad virtutem revocandus? Accedit, quod gratiae divinae est modus aliquis certique sunt fines. Illud quidem certum est, easdem orationes, eadem praecepta, monitiones, verba, quae solatium praeberent, extremo vitae tempore ab Jesu prolata fuisse;[5] sed hoc loco de

5) Wichelhaus l. c. p. 163: „Daß überhaupt die Reden Jesu in diesen letzten Tagen und Stunden sich wiederholt mit denselben Gegenstän-

alia quadam re agi luce clarius est, nempe de homine scelesto nudando et scelere occulto, quod erat commissurus, detegendo, de facinore, quod nondum peractum ideoque non certum ratumque erat — nam libertatem hominum ab ipso Deo rerum praescio nulla unquam re tolli certissimum habemus — indicando potius quam avertendo. Quod vero Jesum ter tantum atque eo, quo scribit Johannes, ordine de re futura monuisse contendimus, id inde quoque probari posse confidimus, quod ad coenam illam sanctissimam Domini crebriores proditoris animadversiones, quam quibus ad hominem sceleratum aut confundendum revocandumque aut amandandum opus erat, non videntur fuisse convenientes. A Matthaeo enim et Marco illa res ita enarratur: quum ederent apostoli cum Jesu, Jesum edixisse, se mox ab uno ex iis inimicis in manum traditum iri. Contristatos discipulos singulos ad Dominum sese convertisse interrogantes, quis esset is, de quo dixisset. Tum Jesum respondisse: eum se traditurum, qui intingeret secum manum in catino; sed Filium hominis vadere quidem, sicut scriptum esset de eo; at miserrimum illum hominem, per quem Filius hominis traderetur; melius futurum fuisse illi homini, si natus non fuisset! Matth. 26, 21—24. Marc. 14, 18—21. Ad haec Matthaeus addit: Judae e Domino quaerenti: num de se locutus esset, responsum datum esse illud: Tu dixisti. Matth. 26, 25. Lucae narratio brevissima est; narrationi de instituta novi foederis coena subjungit: manum ejus, qui se traditurus esset, secum esse in mensa Jesum dixisse; sed Filium hominis secundum id, quod destinatum esset, vadere; at infelicissimum illum, per quem traderetur. Quibus auditis apostolos inter se percontatos esse, quisnam esset id facturus. Luc. 22, 21—23. Lucae narrationem, quod ad verba Christi attinet, cum iis, quae apud Matthaeum et Marcum legimus, omnino convenire nemo non videt; atque etiam a Luca tradita verba quaedam ab Johanne relata in memoriam reducunt. Nam illa: manus ejus, qui me proditurus est, mecum est in mensa, plane respondent verbis e psalmo sumtis: Qui edit mecum panem, contra me levabit calcaneum suum, h. e. per insidias adversum me exsurgit, do-

---

den beschäftigten, wie konnte es anders sein! Sein Scheiden, seine Jünger — darauf waren seine Gedanken gerichtet."

ipse adversus me insidias parat. Quamquam etiam cum aliis bene conferuntur, tam cum illis: Qui mecum manum intingit in paropside, quae a Matthaeo et Marco referuntur, quam cum iis, quae apud Johannem reperiuntur: Cui offam intinctam porrigam, is me prodet.[6] Lucas si verbis, quae refert, illa ab Johanne tradita respexit, nobis princeps est testis, coenam ab Johanne memoratam eandem fuisse atque eam, quae a ceteris evangelistis describitur. Psalmi versum: Ὁ τρώγων μετ' ἐμοῦ τὸν ἄρτον, ἐπῆρεν ἐπ' ἐμὲ τὴν πτέρναν αὐτοῦ, in Marci quoque narratione, qui verbis: εἷς ἐξ ὑμῶν παραδώσει με, addit: ὁ ἐσθίων μετ' ἐμοῦ, latere nonnulli recte monuerunt. Ita Johannes etiam cum Marco convenire videatur. His tamen majorem vim tribuere non cogitamus. Videamus potius, quid, si inter se comparentur ab Johanne tradita cum ceteris rebus, quas priores tres evangelistae commemorant, inde efficiatur. Est autem convenientia tanta tamque insignis, ut complures interpretes hanc solam spectantes apud omnes de una eademque re agi censuerint. Quare alii recentioris aetatis non pauci, qui se quasdam diversitates investigasse existimabant, non coenae diversitatem, quippe quae omnino illis indiciis eximeretur, statuerunt, sed fidem atque auctoritatem scriptorum in controversiam vocarunt. Omnes enim evangelistae ab Jesu proditionem iisdem verbis praedictam esse auctores sunt: futurum esse ut ab uno ex iis qui secum accubarent proderetur, quibus verbis commotos apostolos et inter se et e Domino quaesivisse addunt, quemnam diceret. Et Dominum discipulis ad mensam accubantibus, quid sibi ab homine inimico atque infesto instaret, his verbis tanquam novum aliquid et inexspectatum aperuisse, quatuor evangelistae indicant; verba enim ab uno Johanne versibus prioribus, c. 13, 10. 18., memoriae prodita apostolis, Juda excepto, et obscuriora fuerunt et quasi exordium ad ea pertinent, quae sequuntur. Accedit quod itidem quatuor evangelistis, non uno alterove, testibus ab Jesu dicta summam discipulorum perturbationem moverunt; consternati atque confusi, qui tale quid non erant opinati, hinc illinc ejus rei rationem petierunt. Quod indicium si unum haberemus, ab evangelistis unam eandemque Jesu enuntiationem referri certum

6) Euthymius in Matth. 26, 29.

haberemus. Matthaeus et Marcus discipulorum quemque ad Dominum conversum interrogasse ajunt, Lucas vero eos inter se de hac re egisse testatur.[7] Certe verba justo magis non contorquemus nec a sensu loci proximo nimium recedimus, si in narrationibus Matthaei et Marci illud quoque inesse arbitramur, quod ab Luca docemur, atque e contrario in narratione Lucana id, quod apud illos legitur. Scilicet mirum omnino esset, si discipuli perturbationem suam inter se non aperuissent nec Dominum interrogando se suspicione liberare studuissent. Quid igitur, si scriptores ea, quae per se necesse erat intelligi, non accuratius notanda esse putabant et alius aliud memoratu dignum ducebant? Utrumque autem ab Johanne memoratur, qui apostolos primo inter se,[8] deinde discipulo illo, ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς, intercedente e Domino quaesivisse narrat. Quibus fortasse interrogationibus conjungendum est, quod apud Matthaeum Judas Iscariotes Dominum rogat: num ipse is esset, de quo dixisset.[9] Non offendimur, quod Johannes ita narrare

7) Patr. II, 425, n. 159: Illa superiora Christi verba ut apostoli audierunt, Christum quisque, an de ipso diceret, interrogare coepit, Matth. 26, 22, Marc. 14, 19, ut vero haec, jam non a Christo, sed coeperunt quaerere inter se, non quidem, an ipse, quisque, verum quis esset ex eis, qui hoc facturus esset. Ad haec Patritius etiam alia addit: Illa a Christo dicta fuerunt ἐσθιόντων αὐτῶν, Matth. 26, 21; Marc. 14, 18, inter coenandum, haec μετὰ τὸ δειπνῆσαι, postquam coenavit, Luc. 22, 20. At Patritius ita dicere debebat: Lucas haec narrat, postquam narravit, coena finita calicem benedictionis a Christo cum discipulis esse communicatum. Vide infra. Quod Patritius hoc denique affert ut argumentum: Post illa Judas, aeque ac ceteri, Christum percontatus est, Matth. 26, 25, post haec non, levissimae interpretationis specimen est; eodem jure narratio Marci sejungi potest, qui de Judae interrogatione non commemorat. Reliqua a Patritio prolata levia sunt et inania.

8) Cf. Adalb. Maier: Commentar üb. d. Evang. Joh., II, S. 296: „Auch ist es noch keine wesentliche Differenz, daß bei Matthäus und Markus die Jünger die negirende Frage stellen: Herr, bin ich es? d. i. ich bin es doch nicht! während sie bei Johannes verlegen auf einander blicken, denn damit ist eine laute Frage vereinbar, oder es läßt sich annehmen, daß die zwei ersten Evangelisten die Mienen und Geberden in laute Sprache umsetzten."

9) Quod opinatur Gratz: Krit.-hist. Komment. üb. d. Ev. d. Matth. II, S. 555: „Vielleicht ist Vers 25 nicht gehörig verbunden. Vielleicht

videatur, quasi velit intelligi, solum Johannem e Domino sciscitatum esse, quemnam diceret. Namque etiamsi significationem, quam commemorat Johannes, ab illa, de qua synoptici narrant, disjungeremus, ea dubitatio non tolleretur; quod enim antea omnes interrogarint, Jesu autem iterum de proditione loquente non omnes interrogarint, difficilius explicari possit. Videtur potius Johannes Petro impulsore eodem tempore, quo ceteri apostoli, e Christo, de quo locutus esset, quaesivisse. Ceterorum interrogatiunculis praetermissis de una tantum commemorat Johannes, ad quam unam quum responsio, quam legimus c. 13, 26, data sit, ut explicabimus, etiam interrogatio illa una fuisse videtur, quamquam plures fuerunt. Neque quod quemque apostolorum idem Dominum interrogasse tradit Matthaeus, narrationi Johanneae repugnat, quae ceterorum interrogationes praeterit, Petrum Johanne intercessore quaesivisse refert. Cur igitur discindamus, quae adeo simpliciter conveniunt junguntur que? Sed aliae videntur obstare difficultates, quominus ab evangelistis narrata hoc modo componi liceat. Matthaeo enim et Marco narrantibus ut omnes discipuli ad Christum conversi interrogaverunt, ita omnibus responsum est editum, non uni alterive ceteris non audientibus; quod responsum ipsum cum signo ei conjuncto diversum esse videatur ab eo, de quo scribit Johannes; atque verbis a Matthaeo et Marco relatis Judam proditorem non certo et aperte proditum esse plurimi censent, contra narratione Johannea certius atque sine ulla dubitatione responsum esse confirmari. Quod ad responsum a Matthaeo et Marco traditum attinet: Qui intingit mecum manum in catino, is me prodet; interpretum constantior [10] est sententia, Jesum his verbis signo conjunctis non certo et definite proditorem designasse, sed etsi majore cum vi idem pronuntiasse, quod antea verbis: Unus ex vobis me prodet. Namque cum omnino nihil significationem certam definitamque fuisse

---

fragte Judas, als die Andern fragten, um sich durch Schweigen nicht zu entdecken."

10) Significationem fuisse magis definitam statuunt Theophylactus, Hugo Grotius, Bynaeus, Chr. Wolf, Olshausen. Wichelhaus l. c. p. 162: „Dort ist es Judas selbst, der zugleich mit Jesu von den bittern Kräutern in das Essiggefäß eintunkt, und die Worte Jesu machen ihn vor allen Jüngern als den Verräther kenntlich."

statuere cogit, tum quaedam, ut videbimus, verba ita sumere nos prohibent. Si Judas post hanc responsionem e Domino quaesivisse existimandus sit, num de se locutus esset, indidem colligi possit, verba illa apostolis obscuriora fuisse nec plane id, quod quaesivissent, indicavisse. Vel igitur plures discipuli eodem temporis momento manus suas in patina intingebant,[11] vel circuitu loquendi usus his verbis Dominus omnino secum edentes dicebat. Non vero ad illud confugere lubet, quod opinatur Patritius:[12] Credere etiam est, ait ille, indicium a Christo suppeditatum haud fuisse perceptum, quod Judas, se deprehensum sentiens, manum illico de mensa retraxerit. Contrarium aliquid Origenes, Chrysostomus, Hieronymus, alii opinati sunt[13]

---

11) Veteres Judaeos more plurimorum Asiaticorum ad vescendum non usos esse cochlearibus vel aliis instrumentis, sed digitis cibos e patinis excipere solitos esse, satis constat. De eorum ritibus cibos sumendi vide Jahnium: Biblische Archäologie, Wien 1818, I, 2, §. 172.

12) Patr. l. c. II, 425; cf. III, 502: Illa: Qui intingit mecum manum in paropside, nihil nos compellit in eum sensum accipere, ut quae significent Judam manum in paropside tunc temporis positam habuisse, nam haec verba Christi tantumdem valent atque illa: Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum, ex psalmo 40 deprompta.

13) Origen. in Matth. Commentar. ser., ed. De la Rue III, 897. Chrysostom. hom. 81 in Matth., ed. Montfauc. VII, p. 774. Hieron. Comm. in Matth. lib. IV, c. 26, ed. Vallars. VII, 315: Primum dixerat: Unus vestrum me traditurus est. Perseverat proditor in malo, manifestius arguit et tamen non nomen proprie designat. Judas ceteris contristatis et retrahentibus manum et interdicentibus cibos ori suo temeritate et impudentia, qua proditurus erat, etiam manum cum magistro mittit in paropsidem, ut audacia bonam conscientiam mentiretur. Euthym. ad Matth. 26, 23: *τοῦτο δ'ἐπήγαγεν ὁ σωτὴρ πρὸς ἐντροπὴν τοῦ ἰούδα. τοσοῦτον γὰρ τοῦ διδασκάλου κατεφρόνησεν, ὡς μηδ' ὑποστέλλεσθαι τοῦτον ἔτι, ἀλλ' ἐμβάπτειν μετ' αὐτοῦ. τρυβλίον δέ ἐστιν, εἶδος πίνακος.* Maldonat, Comm. in quatuor Evangelia, in Matth. 26, 23, illorum interpretationem non probat: Si enim, inquit, his verbis proprie fuerat Judas demonstratus, quid opus erat, ut postea Petrus tam sollicite per Joannem rogaret, quisnam futurus esset proditor? quid opus erat, ut alia eum ratione Christus ostenderet dicens: ille est, cui ego intinctum panem porrexero? Recte quidem. Sed non satis demonstravit Maldonat, quo jure ea sejunctio facta sit. Si verborum sono specieque res dijudicantur, et Patritio et Wichelhausio assentiri aequum est et bonum. Hac in re tenendum puto,

ceteros discipulos auditis iis, quae Jesus dixisset, manus suas removisse, sed Judam vel a Domino rogatum vel, qua fuisset impudentia, bonam conscientiam simulantem manum in patina intinxisse. Sed quum nulla re confirmetur, Judam proditorem apertius designatum esse, cum Lamyo,[14] nisi narratio Johannea postulabit, ne id quidem tenere necesse habemus, Judam tempore, quum Jesus illa verba ederet, manum in patina intinxisse, sed his verbis tantummodo ab eo confirmatum esse, proditorem esse unum e convictoribus. Cum his si conferuntur, quae sunt in evangelio Johannis, inter hujus et illorum narrationes aliquid interesse facile apparet. Quae res ne nos nimis offendat, singulos alia via et alio consilio res enarrare adgressos esse cogitemus oportet. Johannes res ut actae fuerant descripsit earumque veritatem quasi depictam reddidit: ceteri evangeliorum scriptores ut aliud spectaverunt ita aliter narraverunt: non tam ut rerum et verborum ordinem stricte servarent curabant, quam ut quae ab apostolis de vita Christi enarrabantur literis mandata complecterentur, unde factum est, ut pluri-

---

quod Natalis Alexander in Exposit. lit. et mor. S. Evang. J. Chr. secund. quat. Evangelist. ad verba: Unus ex vobis me tradet, optime adnotat: Id praedixit Christus, ut se non invitum, sed scientem volentemque mori ostenderet. Proditoris autem nomini pepercit et honori, ne irritaretur, immo potius ut flecteretur ad poenitentiam, cogitationes suas et occulta consilia Christo plane perspecta esse intelligens, tum etiam ut doceret, peccatores occultos non esse publice traducendos. Cf. Tirinus in Commentar. in Matth. 16, 23: Nolebat publice Judam prodere, ne passioni suae remoram injiceret, ut Chrysostomus (non Augustinus, quem laudat Tirinus) arbitratus est, qui in hom. 82 in Joann. (ed. Montfauc. tom VIII, p. 424) haec dicit: Magna quaestio moveri possit, quo pacto interrogantibus discipulis quis esset dicit: Cui intinctum panem porrexero, neque sic intellexerunt; nisi forte clam dixerit, ita ut nemo audiret .... Ad ultimum usque diem illum traducere et notum facere nolebat. Hoc et nobis quoque faciendum: contubernalium peccata non revelanda sunt, etiamsi incurabilia sint.

14) Lamy, Commentar. in Harmon. quatuor Evangelistarum, Paris. 1699, p. 512: Neque enim haec ita accipienda, quasi eo ipso tempore, quo haec a Domino dicebantur, Judas manum haberet in patina; fuisset enim hoc manifestum et indubitatum signum, sed ad mutuum quotidianum convictum referenda, nempe ut dicitur psal. 40, v. 10: Qui edebat panes meos magnificavit super me supplantationem.

mas res in universum tantum et summatim exponerent. Quamobrem si quae minus congruere videantur, ea nobis ad narrationes Johanneas revocanda explicandaque sunt. Praecipue ea in re, de qua agimus, narranda Johannes tam diligens versatur, ut vix quidquam praeter aliqua dicta eum praetermisisse putemus; singula enim quaeque persequitur et qui fuerit causarum nexus ostendit, ubi priores scriptores in universum de re dicunt. Qua de causa responso ab Johanne relato aliam quandam eamque certiorem significationem contineri, his, quae de ejus ratione tradendi cognita habemus, minus probabile efficitur, atque id, quod apud eum legitur, ita arcte cohaeret cum iis, quae praecedunt et quae sequuntur, ut non videatur novi quidquam posse inseri. Priora autem verba cum iis, quae synoptici tradunt, omnino congruere demonstravimus. Quod dictum illud Christi: Ὁ μὲν υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ὑπάγει καθὼς γέγραπται cet. Matth. 26, 24; Marc. 14, 21; Luc. 22, 22, — quibus verbis locus idoneus in versu 26. c. 13. ev. Joh. esse videtur — apud Johannem non invenitur, ad rem non pertinere, nemo non videt; non magis enim iis novum quid infertur, quam verbo illo, quod Judae reddidit interroganti: Tu dixisti. Accedit, quod mirum esset, si bis a Domino, non dicam eadem responsio data, sed idem iisdem fere verbis signo utraque ad sumtionem offulae applicato dictum esset. Sed etiamsi duas significationes esse, quae a prioribus evangelistis et ab Johanne traduntur, cum plurimis interpretum nobis persuaderemus, priori tamen die ea, quae ab Johanne narrantur, facta esse, nequaquam sumere possemus. Proditoris significationem ab Jesu uni Johanni factam esse in coena, de qua narrat Johannes, opinatur Wichelhaus: uni apostolo, quo verba Jesu spectarent, apertum esse, reliquos rem omnino latuisse illa nocte et vespera demum diei posterioris omnibus notam factam esse.[15] Ut omittamus, in coena a Matthaeo et Marco

15) Wich. l. c. p. 162: „Hier gibt die Frage des Johannes den Anlaß, und keiner der übrigen Jünger hat von dem ganzen Vorgang auch nur etwa eine Einsicht; sie bleiben auch in ihrer Unwissenheit und hegen nicht den mindesten Verdacht; bloß dem Petro mochte hinterher Johannes Bericht geben, vielleicht als die beiden in die Stadt gingen, das Pascha-Mahl zu bestellen."

narrata proditorem non plane revelatum videri nec probabile esse, duos apostolos rem ceteros celaturos nec continuo edocturos fuisse,[16] ut, si quid possent, caverent et Christi inimicum prohiberent; omnino id, quod Wichelhausio videtur, excluditur, quod Judam rursus ad Jesum et apostolorum coetum rediisse, postquam consilia sua ab Jesu cognita esse intellexisset, a fide admodum abhorret. Etiamsi enim duo illi, quod noverant, continuissent, Judas, nisi impudentiam ejus omni fide et exspectatione majorem fingas, rursus ad Jesum accedere impediebatur, atque etiamsi discipulis se detectum esse ignoravisset, modo id, quod Jesum penitus quae animo agitaret perspexisse sciebat, ita eum confundere necesse fuit, ut aut in viam rediret aut Jesum relinqueret et desereret, nisi ut flagitium conficeret, non reversurus. Sed unde efficitur, verbis ab Johanne relatis proditorem duobus discipulis vel uni tantum significatum esse? Quod submissa voce Johannes interrogasse videtur, inde non necessario sequitur, responsum quoque datum esse voce submissa.[17] Christus si proditorem denudari nolebat, cur eum certius uni significaverit? Cur Johanni aperuerit, quod latere cupiebat? Minime haec opinio eo confirmatur, quod soli Johanni interroganti verba enuntiata esse narrantur. Omnes quidem apostolos idem interrogasse, sed ad unius Johannis interrogationem illud responsum redditum esse quin credamus quid obstat? Non igitur repugnat Johannes

---

16) Ita Patritius: Num putes non quam primum Joannem et Petrum rem sociis fuisse indicaturos, ut, quum postremo coenatum est, nemo jam proditorem ignoraret? Contra Tirinus, qui coenam unam eandemque fuisse contendit, p. 1026: Nota, Joannem hoc signo certe clarissimo accepto nulli alteri, ne Petro quidem, id revelasse, Christo prohibente, inquit Chrysostomus (hom. 71), ne pravis Judae machinationibus remora fieret. Notandum est, Chrysostomum hanc opinionem non proposuisse; ejus verba sunt (ed. Montfauc. VIII, 424): — Jesus dixit: Quod facis fac citius. Neque tunc illum notum fecit. Forte namque illum discerpsissent, forte Petrus occidisset (*τάχα ἂν ὁ Πέτρος καὶ ἀνεῖλεν αὐτὸν*). Ideo id nemo discumbentium novit. Quid neque Joannes? Ne ille quidem: non putavit enim discipulum in tantam proruptūrum iniquitatem. Quia enim procul erant a tanto scelere, de aliis nihil ejusmodi suspicari poterant.

17) Theophylactus. Euthymius. Maldonat. Estius. Lampe. Kuinoel. Hug. Tholuck. Ad. Maier.

Matthaeo et Marco, qui summatim res exponentes apostolis omnibus idem quaerentibus ea verba reddita esse perhibent. Praeterea consideranda sunt verba, quae Johannes subjungit narrationi de proditione revelata: neminem eorum, qui convivio interessent, intellexisse, quid sibi vellent verba traditori reddita: quod facturus esset citius faceret. Ad eorum[18] sententiam, qui interpretantur: neminem ea intellexisse praeter Johannem, accedendum non videtur. Quid enim magis arcessitum? Tenemus potius id, quod dicunt verba, iisque ipsum quoque Johannem comprehensum esse existimamus. Neque tamen excipiendum putamus, Johannem, quid monitio illa Judae facta sibi vellet, propterea non intellexisse, quod illis verbis variae res significari possent quodque apostolus Judam non adeo celeriter facinus perpetraturum esse judicaret.[19] Quamquam verba ea erant, quae varias res monstrare possent, Johannem tamen, si Judam proditionem moliri cognovisset, ita eorum sensus effugere non potuisset; cum modo sermo fuisset de proditore, Johannes, si Judae consilia cognita habuisset, Jesu dictum quonam tenderet, non prorsus ignorasset. Quum enim verba illa cum signo conjuncta: Cui offam intinctam porrigam, is me prodet, et ea, quae Judae respondit: Quod facis, fac citius, inter se cohaereant, veri similius habemus, Johannem verba proditorem significantia non certo intellexisse, quam eum haec quidem, sed non illa intellexisse. Itaque ex hoc versu: *τοῦτο δὲ οὐδεὶς ἔγνω τῶν ἀνακειμένων πρὸς τί εἶπεν αὐτῷ*, non potest colligi, ab apostolis praeter Johannem illa de proditione atque proditore dicta non esse audita; pariter atque Johannes ceteri apostoli ea audivisse et pariter atque ceteri apostoli Johannes quid sibi vellent incertus fuisse videtur.[20] Apostoli omnes Juda excepto non solum de verbi ultimi, quod Jesus Judae dixerat, sed etiam de priorum sensu ambigebant; his namque plane intellectis de illis talis, qualem legimus, dubitatio fieri non poterat. Significatio ab Johanne narrata minus certa fuit nec plane ab Jesu hominum miserri-

---

18) Estius. Tirinus. Calmet Kuinoel.

19) Chrysostomus. Cornelius a Lapide. Hugo Grotius. Olshausen. Adalb. Maier.

20) Cyrillus Al. in Comm. in Evang. Joann., lib. IX.

mus denudatus est; aliter de illorum verborum sensu ita, ut factum esse legimus, non poterat dubitari. In coena illa, de qua Johannes narrat, omnes discipuli Jesum de proditione, quam unus ex iis animo agitaret, dicere audiverunt, sed significationem ita perceperunt, ut verba Jesu, quibus proditorem dimisit, non intelligerent. Jesus proditionem quidem aperte praedixit, sed proditorem non plane revelavit, ut Judas monitus ad bonam frugem se reciperet et apostoli, si ille in proposito nefando perstitisset, Dominum hujus rei futurae praescium fuisse postea recordarentur. Hanc opinionem confirmat, quod Jesus ad rem significandam minus planis verbis usus est. Cur ita fecit, si Judam traditorem aperte denudari nec ei parci volebat? Quo illud signum, si rem aliquantum obscuram esse non cupiebat? Certe discipuli illa vespera quod narrationes indicant omnino ita se gesserunt, ut aliud opinari nobis non liceat. Ita fieri potuit, ut Judas magna cum libertate in hortum intrare et ad Dominum accedere auderet, quem osculatus in manus adversariorum traderet. Nonne idem conjici oportet, si rem ipsam spectamus? Facinora futura nisi obscuriore sermone non praedicuntur, quamvis certa sint ei, qui praedicit. Quaecunque Christus prophetice suis revelavit, his eventu demum certa et perspicua facta sunt, non quod Propheta minus plane res praeviderit minusve certo praedixerit, sed quod iis, qui audiebant, rerum futurarum cum praesentibus nexus occultus manebat; Christus qui plurimas res futuras prophetarum more praenuntiavit, quorum proprium est non plane et dilucide eloqui, sed responsa edere obscuriora, hac in re ita fecisse eo magis putandus est, quod illud quoque ejus intererat, ut ad virtutem revocaretur, qui errare coeperat. Hac occasione eum planius et apertius dixisse, quam ubi se brevi moriturum atque tres post dies resurrecturum praedixit, quis credat? Quorum verborum sensum apostolos omnino fugisse evangelia confirmant. Vide Matth. 20, 18. 19; Marc. 10, 33. 34; Luc. 18, 31—34; Joh. 20, 8. 9. Rerum futurarum praedictiones quamvis certae verbis obscurioribus, quod attinet ad eos, qui audiunt, involutae videntur. Eventus atque exitus apostolis perfectam omnium rerum cognitionem attulit; postea narrantibus quae ita perspecta sunt, dilucida et significanti descriptione exposita sunt. Non igitur ab Jesu proditionem aliter atque legimus praedictam

esse contendimus, sed ab apostolis verba ejus tum, quum Christus ea edidit, non intellecta esse eodem modo atque postea, quum res ab iis literis mandabantur, arbitramur. Hanc si quasi legem in iis locis explicandis observabimus, unam viam rectam, ut nobis quidem persuasum habemus, insistemus. Jesus apostolis, qui manus suas in catinum porrigebant, Matth. 26, 23; Marc. 14, 20, ciborum offas distribuisse illaque verba Johanni reddidisse videtur: Unus ex vobis, qui mecum editis ex eadem patina offis acceptis, inimicis me tradet. Etsi Dominus Judae statim offulam dedit, id tamen, quoniam ad plures referri poterat, ab uno Juda penitus perceptum est. Unde enim probabitur, hoc ab apostolis, qui primo conturbati erant et confusi, eodem tempore observatum esse? Non tamen negaverim, ea significatione suspicionem in Judam conjectam esse. Sed etiamsi unus alterve apostolorum, si unum, Judam proditurum esse suspicarentur, quid amplius Jesu verba indicere videbantur quam Judam sibi in suspicionem venisse seque timere, ne ab eo sibi periculum immineret et sui proditio fieret? Reliquum est, ut de responso illo Judae dato agamus: Tu dixisti: σὺ εἶπας. Certe Jesus se ejus consilia penitus novisse traditori aperuit; quod Matthaeus brevem istum sermonem vocabulo: ἀποκριθεὶς δὲ, infert, Judam priores ac proximos sermones respicientem interrogavisse satis indicat. Quodsi hoc evangelistae verbum sermonem inducens non cogeret, cum Gratzio (vide supra p. 8) superiori in loco id ponendum esse itaque rem actam esse existimarem: quum apostoli et inter se et e Domino quaererent, quem diceret, hunc, quum proditorem manifesto et evidenter revelari nollet, rogata quodammodo declinasse alii alio responso reddito et singulis urgentibus etiam singula quaedam subjecisse, ut Johanni: eum esse, cui offam esset daturus, Judae vero: Tu dixisti.[21] Aptius tamen hanc responsionem de ea causa, quam diximus, cum verbis ab Johanne relatis: Ὃ ποιεῖς, ποίησον τάχιον, conjungimus. Ita Jesus primo proditionem futuram cunctis apostolis, deinde ipsi

---

21) Estius in Annotat. in Matth.: Cum a multis simul aut quasi simul interrogaretur: Num quid ego sum, Domine? et inter eos etiam Judas interrogaret; non fuit animadversum, ad quem diceret: Tu dixisti.

proditori indicavit. Egregie conveniunt utrobique relata. Etsi ea locutio: Tu dixisti, non ut certum quidquam affirmat, sed ei cui dicatur relinquit, quid videatur, tamen, quemadmodum res se habeat, ita indicat, ut apostoli, qui id audierint, non potuerint, quin eum esse proditurum suspicarentur.[22] Sin autem hoc dictum intellexissent, futurum fuisse arbitramur, ut dictum quoque alterum; Ὃ ποιεῖς, τάχιον ποίησον, intelligerent. An forte ceteri apostoli non audierant? Unde vero Matthaeus apostolus cognitionem habuit? Responsionem Judae datam et ipsam nonnulli convivarum auribus perceperunt, eamque clanculum datam vel in aurem insusurratam esse eo minus existimamus, quod Judas palam interrogaverat. Patritius[23] rem ita enodare conatur: Etsi Judas, inquit, palam ceteris Jesum percontatus est: numquid ego sum, rabbi? Christus respondit: Tu dixisti, credi potest submissa voce usus, ut solus Judas, ad summum unus aut alter e proxime discumbentibus id audirent atque ita ut non recte audisse sibi viderentur, quippe qui aegre animum inducerent, ut audita crederent. Quae interpretatio ideo suscepta est, „ne miremur, ut ait Patritius, si, quum Christus post coenam lotionemque pedum iterum illud praedixit, discipuli iterum audientes adhuc haesitarent dubitarentque.“[24] Quid Patritius, cui Jesus respondisse videtur voce nec clara nec submissa, illi respondeat, qui inde, quod nec palam nec clam id responsum esse existimandum sit,

---

22) Augustin. de Consensu Evang. lib. III, c. 1: Etiam hic non expressum est, utrum ipse esset. Potest enim adhuc intelligi tanquam dixerit: Tu dixisti, non ego. Euthymius in Matth. 26, 29 (cf. in Matth. 26, 25.): *οὗτοι μὲν (οἱ ἄλλοι μαθηταὶ) οὔτε ἀπὸ τοῦ πρώτου γνωρίσματος* (v. 23.) *οὔτε ἀπὸ τοῦ δευτέρου δυνηθέντες νοῆσαι, τίς ὁ προδότης ἐστί· τὸ γὰρ, σὺ εἶπας, αἰνίγματι ἐῴκει· οὐδὲ γὰρ ἐκ τοῦ προφανοῦς ὡμολόγησεν, ὅτι ἐγώ εἰμι. ἀλλὰ κατ' ἐρώτησιν, μήτι ἐγώ εἰμι.* Hug: Gutachten über das Leben Jesu von Dr. Strauß, in: Zeitschr. für Theol., Freib. 1843, IX, 28—30; ejus sententia haec est: Wie die Worte liegen, antwortet der Gefragte nicht, sondern verschiebt die Antwort, oder vielmehr er weicht sie aus; die Redensart ist elliptisch: Du hast es gesagt, nicht ich. Vide interpretum adnotationes ad h. l., praecipue Bynaei in Commentar. ampliss. de morte Jesu Christi, lib. I, c. VII, n. 18, Storrii in opuscc. acadd., vol. III, p. 204—206.

23) Patr. l. c. II, p. 425.

24) Patr. l. c. III, p. 503.

conjicit: ergo ea verba non dicta sunt?[25] Hac de re judicare eo difficilius est, quod nescii sumus, quo ordine circum mensam discipuli Jesu recubuerint, qua in mensae parte quoque intervallo ab Jesu sejunctus Judas convivio interfuerit. Haec et alia, ut satis rem intelligamus, conjecturis informanda sunt, sicque campus quidam patet, ubi quae placeant exquirantur, ubi tamen quae cunctis probentur non inveniantur. Nonnulli interpretes Judam proxime Jesu assedisse opinantur.[26] Quum id quidem constet, ab Jesu optato certius Judae se consilia ejus novisse indicatum esse, opinari liceat, Matthaeum hoc idem dicere voluisse: Jesum Judae interroganti indicavisse, se cognitum habere, id quod ex se quaereret ita esse. Sed quum dictum ita, ut legitur, a Christo pronuntiatum esse tenendum sit, Jesus pauca cum Juda ad se accedenti collocutus esse videtur, quae singula non perceperunt discipuli; quo factum est, ut apostoli primo ejus dicta ad alias quasdam res pertinere opinarentur. Quae conjectura narratione Johannea probabilis redditur; 13, 29. Suspectum tamen Judam apostoli inde habebant, quae suspicio quam vera fuisset, brevi didicerunt, et quid singula quaeque verba sibi voluissent, cognoverunt. Sed etiamsi certior fuerit haec indicatio, apostoli minus tamen eam intellexisse videntur, quippe qui rerum futurarum, quae planis verbis praedicebantur, aegre intelligentiam conciperent. Satana stimulante Judas Jesum prodendi consilium ceperat; Luc. 22, 3; Joh. 13, 2;[27] quum in coena se perspectum esse videret, „multo pertinacius in proposito perseveravit. Multo validius illum occupavit diabolus. Intravit ut sibi jam traditum plenius possideret, in quem prius intraverat, ut deciperet.“[28] (Aug. tract. in Joh. 62.) Et continuo Judam, quum nox esset, abiisse, ait Johannes. Quid aliud apostolus dicere voluit, quam Judam detectis

---

25) Ita Sieffert: Ueber den Ursprung des ersten kanonischen Evangeliums, Königsberg 1832, p. 148—149.

26) Maldonat in h. l. Cornel. a Lap. Natalis Alexander l. c. p. 685.

27) Sine justa causa id quod est apud Luc. 22, 3 ab eo, quod narrat Joh. 13, 2, separare conatus est Lampe l. c., III. p. 12.

28) Calmet in Joh. 13, 27. Adalb. Maier II, 294: „Jetzt nämlich drang die Macht des Teufels überwältigend in sein Inneres, und die schon früher eingeflößte Lust wird zum entschiedenen Entschlusse“.; cf. p. 286. Plura vide apud Bynaeum l. c. I, 5, 26.

insidiis, quas pararet, de coena ad facinus peragendum egressum esse, Jesu monitionem executurus: Ὃ ποιεῖς, ποίησον τάχιον? Nonne idem e verbis elucet, quibus narrare pergit: Cum Judas exisset, Jesus ita locutus est: Nunc clarificatus est Filius hominis et Deus clarificatus est in eo? Conferantur alia ejus dicta, ut Joh. 13, 31. 33; 14, 19. 30; 16, 5. 16; 17, 1. 13. Postquam haec locutus est Jesus, cum discipulis Cidronem torrentem transiit, 18, 1. De contextu rerum et verborum a narrata proditionis revelatione ad haec verba v. 1. c. 18. infra dicemus, ubi de eucharistiae institutione disseremus. Quod evangelista etiam addidit: ἦν δὲ νύξ, multi existimant, nocturnum tempus tanquam opportunius ad scelus committendum notatum et designatum esse.[29] Probabilis videtur Calmeti sententia: Nocturnum tempus fuisse animadvertit evangelista, ut significet, Judam secreto et nocte intempesta adiisse sacerdotes rem peracturum, ut scilicet Jesum caperent eo tempore, quo solus a consueta multitudine inveniretur: Ut traderet illum sine turbis, Luc. 22, 6.[30] Sed evangelista his verbis tempus aliquanto accuratius definiri voluisse videtur, ut infra explicabimus. Certe quidem nox erat illa, qua Jesus ab Juda traditus est, I Cor. 11, 23.

Ut ad ea quae ab evangelistis tradita legimus paucis respiciamus, Johannes solus causam et occasionem, qua ad sermonem de proditore habitum deventum sit, perscripsit et totam rem ita fere ostendit, ut legentibus quasi spectantibus ante oculos obversetur; Matthaeus et Marcus nulla occasione memorata sermonem illum ita inferunt, ut proditionis revelatio initio coenae[31] et ante eucharistiam institutam facta esse vi-

---

29) Lamy l. c. p. 513. Tholuck, Comm. in Joh., ed. 7., p. 351—352: Was den Zweck dieser Zeitangabe anlangt — soll damit angedeutet werden, daß der zum Verrathe geeignete Zeitpunkt gekommen? oder hat sich schon dem Evang. und nicht bloß dem Leser die Parallele der Zeit mit der beabsichtigten That aufgedrungen nach 12, 35. Luc. 22, 35? Cf. Adalb. Maier, Comm. II, 295: ἦν δὲ νύξ — setzt Johannes bedeutungsvoll hinzu, es war Nacht, das Bild seiner Seele, die vom Nachtdunkel umhüllt war, nachdem sie sich vom Lichte der Welt gänzlich getrennt und dem Fürsten der Finsterniß überantwortet hatte.

30) Calmet in Johann. 13, 30.

31) Marc. 14, 18: Καὶ ἀνακειμένων αὐτῶν καὶ ἐσθιόντων; v. 22: καὶ ἐσθιόντων αὐτῶν λαβὼν ὁ Ἰησοῦς ἄρτον cet.

deatur; Lucas sermonem de proditore habitum voculis πλὴν ἰδοὺ cum iis connectit, quae de eucharistiae institutione narravit, ut Judas novae coena interfuisse videatur. Sed animadvertendum, vocabulo πλὴν non omnino ordinem temporis et causarum rationem exprimi eamque conjunctionem eo magis a Luca, qui narrationes certo temporis ordine nonnunquam neglecto composuit, profectam videri, quod praeter ceteros scriptores sacros hoc vocabulo ad varias significationes exprimendas uti solet, id quod potissimum nos adducit, ut ceterorum evangelistarum narrationes quod ad ordinem temporis denotatum attinet praeferamus. Tum denique, quum Judas discessit, Jesus id quod futurum esse praesciverat praesens cognovit, ut continuo adversariorum insidiis succumberet mortemque subiret; hoc temporis momento, quum jam erat decessurus, ut de reditu suo instanti verba fecit, ita eum eucharistiam instituisse, qua memoria mortis a suis recoleretur in posterum, verisimillimum ducimus.[32]

P. II. De lapsu Petri in coena praedicto.

In iis, quae de proditione in coena revelata a scriptoribus sacris narrantur, plurima, quae respondeant atque congruant, et pauca tantum, quae paullulum inter se discrepare videantur, nullas autem res suppeditari perspeximus, quae sint diversae et contrariae. In eadem coena — si quidem coenam nobis dicere licet totum illius vesperae accubitum — evangelistae Jesum Petro praedixisse perhibent, fore, ut se Christi discipulum esse negaret. Jesus quum post Judae discessum, inquit Johannes, apostolis se brevi eos relicturum pronuntiasset, Simoni Petro, qui se eum comitaturum esse affirmavit, dixit: Quo ego ibo, tu me non poteris sequi. Petrus iterum confirmavit, se eum secuturum atque adeo pro eo mori non esse recusaturum. Cui Jesus: Amen, amen, inquit, tibi dico: non

---

32) Varias sententias de hac quaestione propositas vide apud Bynaeum I, 5, 31; Estium in Joh. 18, 26; Calmetum in ev. Joh. 13, 30. Wichelhausium p. 257. Cf. etiam Ebrard: Wissenschaftl. Kritik der evangel. Gesch. I, 640—641.

cantabit gallus, donec ter me negaveris. Joh. 13, 31—38. Lucas hanc rem ita tradit, c. 22, 31—34: Jesum Petro dixisse: Simon, Simon, ecce Satanas expetivit ut cribraret vos sicut triticum. Sed ego pro te oravi, ne fides tua laberetur; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Ad quae Petrum respondisse, se paratum esse cum Domino et in carcerem et in mortem ire. Jesum autem ei dixisse: Tibi dico, Petre, non cantabit hodie gallus priusquam ter te me nosse negaveris. Apud Matthaeum et Marcum haec legimus: Hymno dicto Jesum cum discipulis exiisse in Montem Olearum. Tum eum his dixisse: Omnes in me offendetis hac nocte; scriptum est enim: Percutiam pastorem et dispergentur oves gregis. Sed quum resurrexero, vos praecedam in Galilaeam. Petrum respondisse: Etiamsi omnes in te offendant, ego non offendam. Cui Jesum subjecisse: Amen dico tibi: hodie hac ipsa nocte prius quam gallus (bis, Marc.) cantet, ter me tibi notum esse negabis. Matth. 26, 30—34; Marc. 14, 26—30. Ut in quaestione de proditoris revelatione ita in hac quoque narratio Lucana ea, quae a ceteris evangelistis traduntur, inter se conjungere videtur. Cum Johannea narratione eam omnino congruere apparet; verba enim, quibus Christus Petri lapsum praedixit, apud utrumque eadem sunt, nisi quod Lucas ad dictum: non cantabit gallus, addit: hodie. Quum gallus quotidie cantum edat, is, qui de gallicinio futuro nulla definitione addita loquitur, de galli cantu ejusdem vel proximi diei dicere intelligatur necesse est; id igitur, quod apud Johannem legimus, tempore, quo dicit Lucas, praedictum esse certum videtur. Occasionem Petri lapsum praedicendi uterque Jesum inde nactum esse dicit, quod Petrus se Dominum in mortem secuturum esse affirmavisset; Luc. 22, 23; Joh. 13, 37. Quod in iis quae antecedunt Johannes Jesum se brevi eos relicturum esse dixisse, 13, 16, Lucas vero sermonem fuisse de magno, quod discipulis immineret, periculo, tradit, 22, 31—32, non magni momenti discrepantiam habemus. Modo statuas, ab Johanne filo sermonum servato aliqua verba praetermitti, quae dictorum quasi amplificationes et accessiones sint, facile utrobique relata inter se junguntur.[1]

---

1) Lamy l. c. 517—521. Cum quo consentit Lampe, qui ita locos inter se conciliare adgressus est, Comm. III, p. 88, n. q: Quamvis

Jesus quum post abitum Iscariotae ad hunc respiciens dixisset: se jam discessurum esse, Petro, qui responsum reddiderat: Equidem paratus sum animam meam pro te dare, Joh. 13, 33. 36. 37 ea, quae sunt apud Lucam 22, 31. 32 dixisse videtur, hoc fere sensu: Ne nimis confidas viribus tuis. Satanas enim vos sollicitando perdere studebat et Deo permittente in discrimen adducere, ut qui essent debiles et infirmi instar paleae cribro agitatae excuterentur;[2] sed ego pro te precatus sum, ne fides tua excideret.[3] Tam priora quaedam pericula quam futura his verbis Jesum respexisse arbitramur, ut quae sequuntur ita cohaereant: Magna pericula vobis imminent atque constantiam fidei vestrae labefactabunt his diebus; sed quum tu, Petre, constantiam tuam confirmaveris et de lapsu ad fidem redieris, fratres ad constantiam in professione religionis meae probandam cohortare.[4] Omnes enim a me deficere hac nocte periclitabimini et occasione eorum, quae mihi

---

Luc. 22, 31. 34. major videatur in verbis occurrere discrepantia, eandem tamen illam praedictionem cum nostra esse eo facilius est conceptu, quoniam secundum filium narrationis Lucae praedictio illa ante egressum Domini vs. 39 facta est. Conciliatio autem utriusque facillime fiet, quando unus ex altero supplebitur; hoc pacto, ut verbis Petri apud Joannem vs. 37: animam meam pro te ponam, subjungantur et inserantur, quae habet Lucas: Ait autem Dominus: Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Qui dixit ei: Domine paratus sum tecum et in carcerem et in mortem ire. Et tum sequuntur illa, quae noster vs. 38 habet quaeque Lucas vs. 34 magis per compendium exhibet. Similiter Maldonat in Matth. 26, 31, et Luc. 22, 32.

2) Respicit Dominus ad historiam Jobi atque, ut observarunt Lamy et Calmet, ad locum prophetae Amos 9, 9: Concutiam in omnibus gentibus domum Israel, sicut concutitur triticum in cribro.

3) Insidiis diaboli succubuit Iscariotes. Nic. Lyran. Olshausen.

4) Quod quaedam verba singulatim Petro, alia vero omnibus apostolis dicta sunt, alia de causa, atque opinatur De Wette: Exeg. Handb. z. N. T., in Luc. 52, 31: „Was Jesus zu Petrus sagt, betrifft die andern Jünger mit; daher der Wechsel des Pronomens", factum esse apparet, si animadvertas, quanta gravitate prolata videantur, nec ex conditione atque habitu sermonis, cui plures interfuere, id satis explicari posse arbitror. Videtur potius Petro idem, qui aliis locis, principatus tribui.

accident, offendetis.[5] Tum Petrus responsum illud edidit: Etiamsi omnes labantur, ego a te non desciscam, iterum confirmans, se paratum esse pro Christo quaecunque pericula subire et mortis discrimini se objicere. Luc. 22, 34. Joh. 13, (37.) 38. Convenit Lucae narratio in hoc etiam cum Johannea, quod illa verba ante egressum in hortum Gethsemane dicta esse tradit. Wichelhausio haec narrata componendi ratio non placet; diversa esse ea, quae synoptici, atque quae Johannes tradat, statuit, quamvis magnas difficultates obstare sentiat.[6] Notandum videtur, convenientiae, quae est narrationi Lucanae cum Johannea, ratione non habita, nisi quod dicit: Lucam eandem praedictionem atque Matthaeum et Marcum paullo diverso ordine reddere, ab Wichelhausio quaestionem institutam esse; praedictionem ab Johanne memoratam tempore antemeridiano diei Jovis, eam, cujus priores tres evangelistae mentionem faciant, factam esse in egressu post coenam paschalem persuadere conatur.[7] Videamus, quibus argumentis Wichelhaus pro sententia sua propugnet. Primum profert, causam et occasionem lapsum Petri praedicendi apud synopticos aliam esse atque apud Johannem.[8] Ut de tempore, quo praedictionem factam esse synoptici narrent, hoc loco agere mit-

---

5) Voce ἐπιστρέψας Luc. 22, 32. lapsus significatur, quem ab Jesu praedictum esse verbis: πάντες ὑμεῖς σκανδαλισθήσεσθε ἐν ἐμοὶ ἐν τῇ νυκτὶ ταύτῃ, Matthaeus et Marcus tradunt.

6) Wichelhaus l. c. p. 163: „Als letzter und vielleicht scheinbarster Grund für die Identität der Mahlzeit Joh. 13 mit dem Pascha-Mahl wird das Wort Jesu an Petrus V. 38 angeführt, vgl. mit Matth. 26, 34; Marc. 14, 30; Luc. 22, 34."

7) Wichelhaus. l. c. p. 166: „Es ist klar, daß das Wort an Petrus, Joh. 13, 38. am Donnerstag Morgen gesprochen sein muß, und was Jesus hier dem Petrus zum ersten Mal und im Allgemeinen ankündigt, hat er dann in bestimmterer Weise ihm auf dem Wege nach Gethsemane wiederholt, wo es heißt: in dieser Nacht, Matth. 26, 34, und heute in dieser Nacht, Matth. 14, 30, während in den Worten bei Johannes nur auf den nächstfolgenden Tagesanbruch hingewiesen wird (vgl. Luc. 22, 34, welcher die Worte an Petrus in etwas anderer Verbindung gibt wie Matthäus und Marcus)."

8) Wich. l. c. p. 163—164. Wichelhaus de ea tantum, quae esse videtur inter narrationes Matthaei (et Marci) et Johannis, discrepantia agit. Lucae qui in ultima coena id factum esse tradens Johan-

tamus, reliqua de hac re a tribus scriptoribus tradita cum iis, quae sunt in evangelio Johannis, non discrepare demonstravimus. Sed etiamsi ea conjungendi ratio minus probetur, nonne inter omnes constat, tam Lucam quam Matthaeum et Marcum non omnino eo, quo gestae sunt, ordine res enarrare, sed, quaecunque memoria tenebantur, singula eo, quo traditione apostolorum composita sunt, ordine perscribere, ut contextum adeo premere nobis non liceat? Quid, si hanc praedictionem cum quibusdam illa vespera ab Jesu dictis conjunxerunt ceterorum, cum quibus cohaesisset, respectu non habito?[9] Atque etiam verbis c. 14, 31: ἐγείρεσθε, ἄγωμεν ἐντεῦθεν, perspicue indicari contendit ille,[10] ea, quae c. 13 et c. 14 narrentur, non acta esse Hierosolymis. Quae a Wichelhausio

---

nem de eadem coena scribere confirmat traditionem velut consulto paene silentio praeterit; p. 258 verba habet: „Die Voraussage der Verläugnung Petri ist bei ihm (Lc.) ohne Angabe von Ort und Zeit angereiht.“ Roepe in scripto: Daß das Mahl des Fußwaschens mit dem Paschamahl nicht identisch sei, Hamburg 1856, Wichelhausii de diversitate coenarum opinionem latius pertractat. In hoc opusculo sane imbecillo et quod Wichelhausio omnino indignum est, praedictionem a Luca narratam et ab ea, quam Johannes, et ab ea, quam Matthaeus (cum Marco) refert, separat his fere argumentis: „Es stimmt doch so gar nichts, außer das eine Wort vom Krähen des Hahnes. — Aehnliche Situation, ähnliche Worte. — Dreimal hat der Herr den Petrus gewarnt; dreimal hat dieser ihn verläugnet; dreimal richtet Christus hernach die Frage an ihn: Simon Johanna, hast du mich lieb? und dreimal darf er bekennen: Herr, du weißt, daß ich dich lieb habe; dreimal endlich vernimmt der Reuige das Gnadenwort: Weide meine Schaafe“; p. 23. 24.

9) Non tamen eo procedendum putamus, ut cum Maldonato l. c. statuamus: Matthaeum et Marcum non verba, sed sensum Christi retulisse.

10) Wich. p. 164: — „Dazu kommt, daß c. 14, 31 einen ganz deutlichen Fingerzeig enthält, daß wir im 13. und 14. Capitel uns nicht in Jerusalem befinden. Es ist bekannt, wie viel man an jenen Worten gedeutelt hat; Bleek erkennt darin mit Recht einen Beweis der historischen Treue, daß mitten in den Reden diese scheinbar zufällige Ermahnung zum Aufbruche sich findet; aber für ganz verfehlt müssen wir seine und Lücke's (addendum fuit: und fast sämmtlicher Exegeten) Erklärung halten, daß damit der Aufbruch vom Abendmahl nach Gethsemane gemeint sei. — Die Zeit-Notizen bei Johannes c. 13, 1. 30; 14, 31; 18, 1. stehen freilich für den ersten Blick sehr vereinzelt und sind ganz in den

ad id probandum afferuntur argumenta,[11] ex ipsa ejus opinione praejudicata petita sunt. Quum in singulis, quae ad tempus et locum, quo res gestae sint, attinent, denotandis Johannes admodum diligentem se praebeat, ut ex hoc ipso additamento intelligitur, his verbis, quibus non tam transitus ab alias quasdam res significatur, quam sententia interjecta affertur, ad ea, quae diebus Christi supremis facta sunt, narrationem converti, id quod c. 13, 1 factum esse apparet, ab Johannea narrandi ratione alienum videtur. Ceterum de contextu rerum a c. 13 ad c. 18 traditarum infra dicemus et ad haec verba, quae, ut Wichelhaus satis demonstrat, non ipsa se explicant, sed aliunde explicationem desiderant, revertemur. Si Wichelhausio credamus, praedictio ab Johanne relata facta est post noctem eam, qua ineunte convivium cum pedum lotione conjunctum habuit, et horis antemeridianis ejus diei, cujus vespera, ut nos computamus, Christus coenam paschalem instituit. Sed quo jure sermo, qui Christo cum Petro fuit, ab illa coena ita disjungitur, ut majorem noctis partem intercessisse statuatur? Atque non admodum verisimile ducimus, dominum tempore antemeridiano jam locutum esse de gallicinio diei posterioris; quod enim Wichelhaus opinatur, hac temporis definitione Christum ea de causa usum esse, quod sicut Judas nocte discessisset se nocte insequenti opus suum confecturum, discipulis pericula exoritura, Petrum se novisse negaturum esse sciret,[12] non minus quaesitum videtur; Wichelhausio interprete Judae discessus, quum Dominus haec dicebat, longius aberat, quam ut eo spectare ejus verba possit existimari. Neque etiam illud nobis persuadere possumus, Johannem eam praedictionem anticipasse; non enim externa quadam conjunctione res ab eo narrantur. Wichelhaus quamquam ad difficultatem amovendam hanc viam non iniit, eam tamen non adeo spernendam esse

---

Zusammenhang der Reden und Handlungen Jesu verflochten, aber für den Aufmerksamen stehen sie ganz an rechter Stelle ..."

11) Wich. p. 164—166.

12) Wich. p. 166: „Daß Jesus gerade diese Zeitbestimmung setzt: der Hahn wird nicht krähen, hat wohl darin seinen Grund, daß Jesus wußte, wie Judas in der Nacht sich entfernt hatte, so werde er auch in der Nacht sein Werk vollführen."

existimat,[13] qui paullo supra contextui rerum ab Johanne narratarum summum pondus attulit (not. 7. 8).

Patritius a quatuor evangelistis de Petri lapsu praedicto tradita in hunc modum disponit, ut praedictionem a Luca et Johanne narratam factam esse dicat, quum Jesus adhuc esset in coenaculo, eam autem, quam Matthaeus et Marcus referunt, post egressum in Montem Olearum. Complurium interpretum ea est sententia.[14] Illam enim, quam protulit D. Augustinus in libr. III. de Consensu Evangelistarum, c. 2:[15] eadem vespera Dominum ter Petro lapsum praedixisse, dubito an nemo posteriorum scriptorum retinuerit. Recte quaeritur, qui fieri potuerit, ut Petrus, si iterum idem a Christo ei praedictum est, eadem sui fiducia, qua antea, responderet; quamvis enim magna fuerit ejus temeritas, tam gravem monitionem paullo ante factam adeo ab eo neglectam fuisse aegre potest sumi. Nonne etiam verba Jesu ab quoque evangelistarum ita inferuntur, ut cognoscamus eos rem novam velle tradere? Si diversa fuerunt praedictiones, cur Matthaeus et Marcus priorem certe non minus gravem et memorabilem, cujus Lucas et Johannes mentionem faciunt, praetermiserunt? Unius tantum cognitionem habuisse videntur. Illud quoque considerandum, monitionem Petro factam cum signo ei conjuncto ita certam fuisse et planam, ut quid iteratio voluerit vix possimus intelligere. An ea fuit Christo res futuras praedicendi ratio, ut ii, quibus futura praenuntiavit, non possent non intelligere? Si bis praedictio facta foret, non tam praemonitus, quam impeditus fuisset Petrus in professione amoris, quem habuit in

13) Wich. p. 167.

14) Cornel. a Lapide nullis argumentis in medium prolatis praedictionem a Luca memoratam aliam esse atque eam, quam tradit Johannes, contendit: Haec apud Joannem praedictio diversa est ab aliis, quas commemorant ceteri tres evangelistae. In Joann. 13, 38.

15) „Facile possemus intelligere, aut illos duos (Matth. et Marc.) ea recapitulando posuisse, aut istos (Luc. et Joann.) praeoccupando, nisi magis moveret, quod tam diversa non tantum verba, sed etiam sententias Domini praemittunt, quibus permotus Petrus illam praesumtionem proferret, vel cum Domino vel pro Domino moriendi: ut magis cogant intelligi, ter eum expressisse praesumptionem suam diversis locis sermonis Christi et ter illi a Domino responsum, quod eum esset ante galli cantum ter negaturus."

Christum, labi. Sed quanam re cogimur diversitatem statuere? Vel quae argumenta, ut eas diversas fuisse probet, profert Patritius? Quum nihil, inquit, nos credere cogat a Matthaeo et Marco in his narrandis ordinem rerum et temporum minus esse observatum, quoniam sicut ter Judae proditionem, ita bis Petro lapsum Christus praedicere potuit, utique lapsum hunc bis a Christo praedictum fuisse credimus.[16] In iis, quae Patritius de proditore revelato demonstrare studuit, adeo ab eo dissentimus, ut argumento inde ducto istam sententiam perperam fulciri et defendi existimemus. Christus in proditione revelanda gradatione quadam usus ter idem non eadem cum vi nec eadem significatione aperuit; quod in praedictione de lapsu Petri nequaquam cernitur, mira potius esset iteratio. Quod ad analogiam attinet, quam Patritius observatam vult, cum Tittemontio consentimus, qui de alia quadam re agens dicit: Les analogies sont bonnes quand les choses sont prouvées, et sont faibles pour les prouver, parceque Dieu a des raisons bien différentes de celles qui nous frappent davantage.[17] Sicut vero pro certo habemus, Lucam eandem praedictionem atque Johannem referre, ita illius narratio optime convenit cum iis, quae apud Marcum et Matthaeum reperiuntur;[18] vide ea, quae supra attulimus. Atque etiam occasio lapsum praedicendi, quantum ex Matthaei et Marci narrationibus potest cognosci, eadem fuisse videtur: Jesum suis de periculis instantibus locutum esse dicunt, tumque Petrum nimia sui fiducia elatum occasionem praeter ceteros monendi Christo dedisse. At in eo discrepant narrationes Matthaei et Marci cum narrationibus Lucana et Johannea, quod a Christo Petrum se

---

16) Patr. l. c. II, 427.

17) Wichelhaus. p. 168: „Auch darauf möchte zu achten sein: die dreimalige Verleugnung entspricht der dreimaligen Betheurung des Petrus, er wolle für Jesum sein Leben lassen. — — Der aufmerksame Beobachter wird es allezeit im Leben bestätigt finden, daß die göttliche Warnstimme zwei- oder dreimal ergeht (Hiob 33, 29), und daß der Fall in eben so vielen Absätzen erfolgt, als man Stufen glaubte erstiegen zu haben." Quis cum Wichelhausio non consentiat, si haec dicantur de monitionibus, quae incutiantur animis gratia divina magnam vim conscientiae excitanti?

18) Cf. etiam Bynaeus, lib. II, c. 1, n. 3.

ipsum nosse negaturum praedictum esse tradunt, postquam Jesus cum discipulis egressi essent in Montem Olearum. Matth. 26, 30. 31. Marc. 14, 26. 27. Quid, si, quod aliis argumentis confirmatur, Matthaeus et Marcus ordinem temporis neglexerunt? Quod eo magis tenendum putamus, quod Matthaeus vocula τότε utitur, quae latiori sensu adhiberi potuit, Marcus autem vocabulo καὶ, qua temporis ratio non exprimitur.[19] Minimi momenti haec est discrepantia, quae satis inde explicari potest, quod evangelia Matthaei et Marci traditiones apostolorum alia via compositas continent, atque evangelium Johannis. Matthaeus et Marcus addunt — Matth. 26, 31; Marc. 14, 27. — Jesum haec praedicentem locum Zachariae (13, 7) produxisse: *Πατάξω τὸν ποιμένα, καὶ διασκορπισθήσεται τὰ πρόβατα τῆς ποίμνης.* Quod dictum propheticum apud Johannem non reperitur, nisi id tangit 16, 32: *ἰδοὺ, ἔρχεται ὥρα καὶ νῦν ἐλήλυθεν, ἵνα σκορπισθῆτε ἕκαστος εἰς τὰ ἴδια, καὶ ἐμὲ μόνον ἀφῆτε.* Si Matthaeus et Marcus ea verba in loco, quo ponenda erant, posuerunt, non alienum videtur sumere, Dominum nonnullis sermonibus interpositis ad illam sententiam revertisse, praesertim quum uno tantum verbo eam respiciat. Etiamsi bis haec res a Domino loci prophetici respectu habito praedicta sit, inde non potest colligi id, quod Wichelhausio videtur: certo inde effici, Jesum et singulatim Petro et cunctis apostolis bis eos a se defecturos praedixisse.[20] Quid enim?

---

19) Hugo Grotius in h. l.: τότε — circa hoc tempus. Hammondus in Matth. 26, 31: Postquam coenassent et priusquam exirent, Jesus sic discipulos alloquutus est: Omnes, antequam mane illucescet, me deseretis. Tirinus in Matth. 26, 31: Tunc — id est, sub egressum, nempe eadem illa hora, sed antequam excederent. Luc. 22, 31. 39. Joann. 16, 32; 18, 1. Lampe, p. 88—89, not.: Burmannus quoque rationem addit, cur Matthaeus et Marcus post exitum subjungant praedictionis hujus commemorationem, nempe quia una serie enarrare voluere, quae ad actum institutionis S. Coenae pertinent et deinceps excerpta quaedam ex sermonibus Domini post coenam gestis subjungunt. Addi forte posset, quod quae proxime praeparationem Domini ad instantem passionem concernebant, conjungere voluerint.

20) Wichelh. p. 167—168: „Und gerade diese Worte 16, 32 (ev. Joh.), welche ganz parallel gehen mit Matth. 26, 31 und Marc. 14, 27 (man beachte besonders den Ausdruck σκορπισθῆτε auf Grund der Stelle Sacharias 13, 7) sind mir entschieden ein Beweis, daß Jesus dem Petro

Nullo verbo in loco Joh. 16, 32. de Petri lapsu agitur, sed universe de periculo, quo futurum esset ut omnes dispergerentur et dissiparentur, quod Dominum bis praedixisse admodum probabile habemus; non enim de certo hominis alicujus facto futuro, sed in universum de periculo imminenti sermo fuit. Sed vero tamen propius abesse judicamus, a Matthaeo et Marco verba illa e Zacharia prolata anticipata et proxime conjuncta esse cum praedictione Petro facta. Quod eo facilius fieri potuit, quod dictum istud a Johanne commemoratum utique vicinum erat praedictioni illi, cujus omnes evangelistae mentionem faciunt.

P. III. De lotione pedum in coena facta.

Johanne auctore Jesus in coena, quam cum discipulis ante diem festum paschatis habuit, deposito pallio sumtoque linteo aqua pelvi infusa pedes discipulorum lavit et linteo, quo cinctus erat, abstersit. Et quum eorum pedes lavisset iterumque accubuisset, eos interrogavit: Intelligitisne, quare ita vobiscum egerim? Vos me doctorem et dominum appellatis, nec immerito: is enim ego sum. Quodsi ego dominus vester et magister pedes vestros lavi, vos etiam oportet alius alii pedes lavetis. Etenim exemplum vobis exhibui, ut, quod ego vobis praestiterim, vos quoque alter alteri praestetis. Adfirmo vobis, nec servum domino nec legatum eo, qui ipsum miserit, majorem esse. Joh. 13, 4. 5. 12—16. De hac pedum lotione in coena facta ceteri evangeliorum scriptores non meminerunt; sed huc spectare quaedam a Luca relata non dubitamus: in suprema Christi coena inter apostolos contentionem exstitisse narrat, quisnam ipsorum maximus esset; tum Jesum haec iis dixisse: Reges gentium dominantur: at vos ita facere nolite; sed qui inter vos eminet, se gerat ut inferiorem, et qui princeps est, ut ministrum. Uter enim nobilior est, conviva accubans an servus ministrans? Nonne conviva? Ego autem inter

---

insbesondere und den Jüngern überhaupt zweimal die Warnung hat zukommen lassen, das Eine Mal am Donnerstag Morgen Joh. 13, 38; das zweite Mal beim Aufbruch nach Gethsemane."

vos ut ministrum me gessi. — Quemadmodum pater mihi regnum addixit, id ego vobis addico, ut mensae meae assidentes in regno meo edatis bibatisque. Et thronis insidentes duodecim tribus Israeliticas judicabitis. Luc. 22, 24—30. Non solum apud Lucam eaedem sunt sententiae, quae apud Johannem, iisdem fere verbis pronuntiatae, sed etiam iis, quod Christum egisse ab Johanne docemur, non obscure significari apparet. Wichelhaus difficultatem inde opinioni suae exorientem, ut tollat, Jesum in suprema coena illis verbis ad lotionem pedum, quae superiori die facta esset, respexisse opinatur.[1] Num ita judicat nisus argumentis, quae in aliis rebus examinandis, ut in quaestione de proditionis revelatione et de Petri lapsu praedicto, attulerat? Immo alia affert, quae illam, quam defendit, sententiam sequi cogant: Jesum pedes discipulorum, ut Johannes tradat, suo erga eos amore permotum lavisse, non contentione inter apostolos orta, quam Lucas commemoret, adductum; quare aequum non esse, ut contentione illa Domino pedes discipulorum lavandi occasionem datam esse existimemus.[2] Sed quis tandem non videt, aliud esse causam ex animo et mente natam, aliud occasionem vel causam, quam res externae ad agendum praebeant? Suo erga discipulos amore impulsus Jesus id, quod apud Johannem legimus, occasione data ea, quam Lucas narrat, facere adgressus esse videtur. Quamquam de loco Lucano recte dubitari potest; contentio enim illa, de qua sermo fit, priori tempore exstitisse videtur, quum mater Zebedaidarum pro filiis suis, ut in regno suo eos ad summam dignitatem attolleret, Dominum rogavit atque oravit, Matth. 20, 20—28; Marc. 10, 35—45, cujus rei a Luca nulla fit mentio.[3] Neque tamen istam Lucae narratiunculam transponendam putamus. Namque etiamsi Lucas nonnulla e priori illo

---

1) Wichelhaus p. 160: „Entstand nun am folgenden Tage ein Rangstreit unter den Jüngern, so ist sehr natürlich, daß sie Jesus an seine gestrige Handlung erinnerte."

2) Wich. l. c.: „Nicht mit Bezug auf den Hader der Jünger, sondern in eigener, freier Bewegung der Liebe nahm Jesus jene Handlung vor."

3) Maldonat in Luc. 22, 28: Haec Lucas suo loco praetermissa hic recordatus memorat. Neander: Das Leben Jesu Christi, 5. Aufl., Hamburg 1852, p. 619. 698 sq. Tholuck, Comm. in Joh., p. 341. Cf.

sermone huic tempori tribuit, alia sunt, quae ad lotionem pedum in suprema coena factam spectare videantur. Itaque contentione illa apostolorum Christo pedes lavandi occasionem datam esse arbitramur, ut hoc exemplo insigni et conspicuo eos admoneret, non regni terreni majestatem esse exspectandam, sed cupiditatibus repulsis ad salutem hominibus parandam iis esse ministrandum. Quae praecepta a Domino post ipsam pedum lotionem discipulis data esse narrationibus et Johannea et Lucana confirmatur, etsi contextum narrationis Lucanae non adeo premere in animo est. Controversiae occasionem inde factam esse existimamus, quod Christum etiam atque etiam affirmantem audiebant: propediem regnum suum divinum esse appariturum orbemque terrarum occupaturum; Matth. 26, 29; Marc. 14, 25; Luc. 22, 16. 18. 29. 30.[4] Nullo autem pacto opinioni Patritii accedimus, qui quaestionem penitus pervertit: pedum lotione apostolos ut altercarentur adductos esse ait,[5] et Christum interrogatione sua: Uter major

---

etiam, quod adnotat Tirinus ad Luc. 22, 24: Potuissetne importuniore tempore super tali negotio a talibus contendi?

4) Olshausen, Comm. II, 396: Christum non cupiditatibus discipulorum ambitiosis ut verba ab evangelistis tradita diceret adductum esse videri; verba enim esse ea, quae honorum contentionem etiam augere potuerint. Verum quid obstat, quominus illa dicta esse statuamus ante controversiam exortam? Atque etiamsi iterata sint, nonne Jesus re et verbis modo eos satis edocuerat, ut jam tale quid non esset timendum. Non est igitur, quod ad opinionem accedamus, quam Olsh. profert: „Weit annehmlicher scheint daher die Vermuthung, daß etwa über die Plätze beim Mahle sich ein Streit entspann. Jeder wünschte sich, unmittelbar in der Nähe des Herrn zu sitzen, und nur bei der Erringung dieser Plätze, die im Grunde die Liebe sie suchen ließ, mochten Berufungen auf ein höher oder geringer Stehen im Reiche Christi gehört werden." Quum Jesus discipulorum pedes lavit, coenae initium jam factum erat, quod cum ea opinione minus convenire videtur; cf. ib. p. 294.

5) Patr. II, 427: Inter haec autem si quaerimus, quidnam apostolis occasionem praebere quiverit, illa de re inter se certandi, unum hoc subit, quod Christum conspexerint stantem ante ipsorum pedes hos abluere atque abstergere linteo, ut qui ipsos obsequio prosequi vellet. Ipsa id comprobant Christi verba a Luca in 22, 27 commemorata: Nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat? Ego autem in medio vestrum sum

est, conviva accubans an servus ministrans? contentionis auctorem exstitisse. Non immorabimur in ejusmodi ineptiis refellendis. Apostolos exemplo Christi submisse se gerentis gravissime admonitos, ut comprimant animos suos, ad inanem istam contentionem delapsos esse quis credat? Atque verbis Christi: „Uter est major, conviva accubans an servus ministrans? Ego autem inter vos ut ministrum me gessi“, contrarium comprobari, atque quod Patritio videtur, in oculos incurrit: si enim Christus pedes suorum lavans illis verbis mentem ambitiosam carpere voluit, hanc antea eluxisse indidem colligimus.

Christus discipulis pedes lavit *δείπνου γενομένου*,[6] Joh. 13, 2: *ἐγείρεται ἐκ τοῦ δείπνου*, 13, 4. Patritius eorum sententiae est, qui Christum coena facta vel post coenam pedes discipulorum lavisse interpretantur.[7] Sed quum contextus narrationis Johanneae tum verba ipsa locum ita reddi vetant.[8] Christum enim coenam agere post pedes ablutos perrexisse, e versibus 12 et 25 c. 13 apparet, et verbum *γενέσθαι* hoc modo conjunctum nunquam non idem est atque fieri, non esse, et rei, de qua agitur, initium factum esse significat; cf. praeter locos Joh. 21, 4; Matth. 8, 16; 26, 6. etiam Matth. 14, 15. 23; 16, 2: *ὀψίας γενομένης*. Matth. 27, 1. 57. Marc. 6, 47; 6, 2: *σαββάτου γενομένου*.[9] Pedum lotio a Christo in suprema

---

sicut qui ministrat, ex quibus manifesto apparet, dum contentio illa ferbuit, apostolos accubuisse, Christum ministrasse; qua de re plene tibi mecum constabit, ubi animadverteris, ut Christus haec dicens vellet ea, quae proxime apostolos docuerat, praesente exemplo confirmare.

6) Tischendorf: *γινομένου*.

7) Patr. II, 426.

8) Adalb. Maier, II, p. 582: „*γενομ. δειπν.* nicht: nachdem das Mahl vorüber war, wogegen v. 12 und 25 streitet, sondern wörtlich: als das Mahl geworden war, d. i. bei oder während des Mahles; vgl. 21, 4; Matth. 8, 16; 26, 6.“

9) Hug. l. c. haec dicit: „*γενέσθαι* mit den adverbiis loci *εἰς*, *ἐν*, *πρὸς* construirt, bezeichnet eine Oertlichkeit; absolut gesetzt, drückt es, wenn von Handlung und Bewegung die Rede ist, die Zeit aus, und zwar eine vergangene; wie bei Thukydides: *διεκωλύθησαν ὑπὸ τοῦ σεισμοῦ γενομένου*, I, 101; *γενομένης δὲ μάχης*, I, 108. und bei Xenophon Hellen. I, 1, 11: *αἰθρίας γενομένης καὶ τοῦ ἡλίου ἐκλάμψαντος*. I, 2, 7: *Σελινουσίοις κρατίστοις γενομένοις*.“ Omnibus his locis *γενόμε-*

coena facta ut singulare quid erat, ita non initio coenae, ut alias fieri solebat,[10] sed tempore insolito post initium coenae facta esse videtur. Sed illud quum ex evangelio Johannis pateat, ab Jesu pedes lotos esse, ut humilitatis amorem discipulis inculcaret, Joh. 13, 12—17, non ut eos officii vitiis se purgandi admoneret, quod ut faceret, 13, 10. 11, ipsa pedum lotione adductus est, non potest eorum opinio[11] probari, qui Jesum pedes discipulorum lavisse dicunt, ut eorum animos praepararet ad eucharistiam, quam esset cum iis communicaturus.

P. IV. De eucharistia in coena instituta.

Coenam supremam, quam Jesus cum discipulis habuit, cum Domini dicta praeceptaque ante omnia insignem atque aeterna memoria dignam reddiderunt, tum ejus monumentum quoddam illustrissimum eucharistiae institutione inter coenam facta Christi cultoribus omnium aetatum traditum est. De qua institutione priores tres evangeliorum scriptores nos edocent; accedit Paulus apostolus, qui in priori epistola ad Corinthios eam exponit. E quatuor his scriptoribus et Matthaeus et Marcus inter se conveniunt et Lucas et Johannes iisdem fere verbis de hac re loquuntur.[1] Jesus inter coenandum, scribunt illi duo, pa-

---

νος non significat: quum fuisset, sed: quum esset; γενέσθαι vim habet eandem, quam fieri, non esse. Locus autem Xenoph. I, 2. 7. huc non pertinet, quoniam γενέσθαι ibi non absolute positum est, sed vim habet copulae esse. Item ἐκ δείπνου ἐγείρεται non est: surrexit post coenam, sed: de coena; coenam tum jam finitam fuisse, inde nullo modo sequitur. Similiter dicitur ἐκ μάχης φεύγειν, fugere e pugna.

10) Buxtorfii Fil. Dissert. Philol.-Theol., Basil. 1662, p. 302—305. Carpzovii Apparat. hist.-crit. Antiquitatt. S. Cod. et gent. Hebr. Lips. 1748; p. 54. 365.

11) Maldonat. Lamy. Sepp (Leben Jesu Christi III, p. 403 sq.).

1) Notatu dignum videtur, in diversas partes scriptarum recentiorum sententias abire, ubi quaerunt, cujusnam narrationi tanquam principali potissimum fides habenda sit. Rückert: das Abendmahl, sein Wesen und seine Geschichte in der alten Kirche, Leipzig 1856, p. 17 sqq., Marci narrationem ut brevissimam veritati proximam videri judicat. Neander: Leben Jesu, ed. 5, traditionem Lucanam verissimam esse arbitratur. Olshausen, II, 416: narrationem Pauli iis, quae ceteri re-

nem sumtum cum gratiarum actione fregit fractumque discipulis dedit his verbis: Accipite (Matth.: et manducate): hoc est corpus meum. Et calicem in manum sumtum cum gratiarum actione discipulis dedit (Matth.): dicens: bibite de eo omnes; (Marc.): et biberunt omnes de eo. Addiditque Jesus: hic est enim sanguis meus, sanguis novi foederis, effundendus pro multis (Matth.): in remissionem peccatorum. Matth. 26, 26—28; Marc. 14, 22—24. Quae addunt, Matth. 26, 29; Marc. 14, 22—24: Jesum se de vineae fructu non amplius potaturum esse confirmasse, donec adesset dies, quo rursus cum iis potaturus esset in regno divino; a Luca ante eucharistiae institutae commemorationem traduntur. Ita enim ab hoc Christi coena perscribitur: Ad mensam accubantem Jesum haec locutum esse: Desiderio flagravi vobiscum edendi hoc pascha, priusquam moriar; dico enim vobis, me non iterum hoc esurum esse, donec impleatur in regno Dei, i. e. donec instituatur regnum Dei. Et sumto pane Jesum gratias egisse fractumque eis dedisse his verbis: Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur; hoc facite in mei memoriam. Atque eodem modo eum postquam coenatum esset calicem sumsisse et dixisse: Hic calix est novum foedus in sanguine meo, qui pro vobis funditur. Luc. 22, 14—20. Paulus, qui omittit extrema haec verba v. 20: τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, et loco verbi διδόμενον Luc. 22, 19. posuit κλώμενον, addit ab Jesu dicta: hoc facite, quotiescunque bibetis, in mei memoriam; I Cor, 11, 24, 25.[2] Institutio sacramenti corporis et sanguinis Christi cum convivio, quod ab Jesu ejusque discipulis habebatur, ita conjuncta fuit, ut communicatio calicis in fine ejus esset, communicatio panis mystici hanc proxime antecederet. Certe enim scriptores ita narrant, ut inter haec aliud quid convivas vel

---

terant, anteponendam esse, quod, quemadmodum res acta sit, verius exprimat, Matthaeus et Marcus propter traditionem in ecclesia diligentissime servatam breviores fuerint. Certe non brevior sed plenior relatio veritati propior habenda est.

2) Cf. Adalb. Maier: Einleitung in die Schriften des N. T., Freiburg 1852, §. 28; et: Commentar über den ersten Brief Pauli an die Korinther, Freiburg 1857, p. 253—259. Vide etiam Gratzii Commentarios in Matth. p. 556 sq., ubi a quatuor scriptoribus sacris de hac re relata composita reperiuntur.

edisse vel bibisse conjici non liceat. Quamquam Lucae verba *ὡσαύτως* et *μετὰ τὸ δειπνῆσαι*, 22, 20, nobis non videntur inter se conjungenda eo sensu: ut communicatio panis facta sit post coenam, ita etiam vini communicationem coena peracta factam esse,[3] nec verbum *ἐσθιόντων* Matth. 26, 26; Marc. 14, 22 interpretandum putamus: postquam coenarunt s. coena (paschali) peracta.[4] Coena autem, ad quam referenda sunt vocabula *ἐσθίειν* et *δειπνεῖν*, illa fuit,[5] quae jussu Magistri parata erat, Matth. 26, 17—20; Marc. 14, 12—17; Luc. 22, 8—13, ad cujus finem coena nova instituta est. Johannes novae coenae institutionem illa vespera factam praeterit. Ita autem rem se habere negat Patritius, qui demonstrare nititur, Johannem ipso initio capitis 13 eucharistiam a Christo institutam indicare, haec disserens:[6] „Ante diem festum paschae, sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad patrem, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Quis vero haud perspiciat, ut Johannes his verbis aliquid significare velit grande omnino, insigne, novum, ad id indictum atque inauditum? Quid vero illud? Sive verba *εἰς τέλος*, in finem, idem soneat ac usque ad exitum vitae, sive idem ac adeo ut nihil possit ultra (Mazochii spicil. bibl. in h. l.), specimen aliquod eximium atque indicium amoris erga suos, quo Christus flagrabat, ab ipso exhibitum his indicatur procul dubio. Nisi autem de postrema coena Joannes loquatur, hoc amoris specimen atque indicium esse aliud ne-

---

3) Ut explicat Kuinoel: Comm. in ev. Matth. 26, 26, p. 709 (ed. III).

4) Ita Kuinoel l. c.; cf. Schleusneri Nov. Lex. Graeco-Lat. in N. T. s. v. *ἐσθίω*: *καὶ ἐσθιόντων αὐτῶν*, cum fere comedissent seu vergente ad finem coena. Gratz. l. c.: postquam coenaverant. Huc non pertinet, quod Matth. 14, 21. scribit: *οἱ ἐσθίοντες ἦσαν ἄνδρες ὡσεὶ πεντακισχίλιοι*: qui edebant s. edentes fuerunt quatuor millia virorum, vel, ut vertit Schott: Nov. Test. graece et lat.: Fuerant qui coenarent fere quinque millia.

5) Adalb. Maier in Comm. in Ep. I ad Cor. 11, 25: „Die Zeitbestimmung *μετὰ τὸ δειπνῆσαι*, welche auch Lucas hat, setzt wie die den ersten Theil der Abendmahlshandlung einleitende Zeitangabe *ἐσθιόντων αὐτῶν* bei Matthäus und Marcus die Darreichung und Segnung des Brodes mit der jüd. Paschamahlzeit, wovon *δειπνῆσαι* zu verstehen ist, in enge Verbindung."

6) Patr. III, 503—504.

quit, quam quod statim narratur, ut Christus laverit pedes discipulorum. Grande quid profecto hoc fuit, non tamen adeo, ut ita de hoc loqueretur Joannes veluti si non alia praeter hoc eaque longe grandiora perennioraque amoris monumenta Christus suis tradiderit, atque adeo ipso supremo vitae die eucharistia instituta. Haec igitur, eucharistia, inquam, est argumentum illud divina sapientia excogitatum, quo Christus suos a se εἰς τέλος diligi omnimodis evicit, idque est, quod Joannes perstringit aut ut verius loquar, indicat verbis illis. Quam interpretationem ipsa comprobat verborum ἔμφασις, confirmantque ea, quae de coena Joannes ita subjungit, ac si hanc commemoraverit jam nemoque, quanam de coena loquatur, non intelligeret. Ad haec adnotat Joannes, ut Jesus εἰς τέλος, in finem, suos dilexerit, hoc est, suis dilectionis signum exhibuerit." Etiamsi verba eo, quo vult Patritius, modo inter se conjungas eaque ab iis, quae versu secundo sequuntur, segreges, nullo tamen modo de eucharistia ea intelligenda esse arbitramur.[7] Nam verbum ἀγαπᾶν, diligere, nec de singulari quodam amoris documento intelligi potest nec diverso sensu id hoc loco interpretari nobis licet. Quum enim, ubi Johannes scribit: ἀγαπήσας τοὺς ἰδίους τοὺς ἐν τῷ κόσμῳ, ἀγαπᾶν idem sit atque: summa benevolentia et propensa voluntate aliquem amplecti vel etiam amorem et benevolentiam praestare, in altera parte: εἰς τέλος ἠγάπησεν αὐτούς, non aliud quid intelligendum est, ut neque pedum lotionem neque eucharistiae communicationem significare possit. Nec, si ita, ut Patritio placet, interpreteris: specimen eximium et indicium admirandum a Christo exhibitum esse, verbum εἰς τέλος congruat, nisi durius torqueas. Quod denique de ἔμφασι verborum scribit ille, ea in amore Christi, qui ad mortem usque ingenti affectu flagraverit, praedicando posita est. Apostolum autem singulare hujus amoris, quo Christus perpetuo flagrabat,

7) Latiorem quendam sensum in iis inesse statuunt Lamy, l. c. p. 509, et Tirinus in Joh. 13, 1. Illius verba sunt: Suos relicturus vehementiorem erga eos caritatem ostendit, abluens pedes eorum; sed et aliud majus amoris argumentum a Domino exhibitum, nempe sacramentum corporis et sanguinis sui, ut ab aliis Evangelistis satis expositum Joannes praetermittit silentio.

documentum non eucharistiae institutionem ostendere voluisse, ex eo elucet, quod continuo de pedum lotione ita scribit, ut solam hanc eum spectasse colligamus necesse sit. Addendum puto, evangelistam, si verba versus primi scribens de eucharistia in coena instituta cogitasset, in versu secundo necessario scripturum fuisse τοῦ δείπνου, non δείπνου, praesertim si verba δείπνου γενομένου vertenda essent, ut explicat Patritius: coena facta s. post coenam.[8] Johannes si dicere voluisset: Jesus, qui suos quamdiu in mundo versatus est dilexit, hujus amoris erga eos in perpetuum vigentis praestantissimum documentum atque exemplar ante diem festum paschatis praebuit; — certe ita, ut apud eum legimus, non fuisset scripturus. Quum igitur verba εἰς τέλος ἠγάπησεν αὐτοὺς non conjungenda videantur cum primis illis: πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα, alia verba componendi via, atque ea, quam Patritius probat,[9] nobis ingredienda est. Sententiam, quam profert Adalb. Maier,[10] omnium maxime probabilem habemus, qui verba πρὸ τῆς ἑορτῆς cum versu quarto conjungit ita ut, a verbo ἀγαπήσας vers. 1 perpetuitate verborum diremta, et ad coenam et ad lotionem pedum pertineant. Ne cum Rückerto[11] verba πρὸ τῆς ἑορτῆς cum εἰδὼς proxime sequenti conjungamus, id obstat, quod verbum εἰδὼς vers. 3 repetitum cum priori co-

---

8) Patr. II, 426.

9) Similiter cum verbo ἠγάπησεν, quod tamen pedum lotionem spectare arbitrantur, verbis πρὸ τῆς ἑορτῆς conjungere placet Hengstenbergio: Ev. K.-Ztg. 1838, p. 788 sq., Lückio: Comment. üb. d. Ev. Joh. II, p. 546; Wichelhausio l. c. p. 155 sqq.

10) Adalb. Maier: Comm. üb. d. Ev. Joh., II, p. 284: „Die angefangene Satzstruktur wird bei ἀγαπήσας V. 1 unterbrochen; die vorangehenden Bestimmungen gehören nämlich zu V. 4 ff, und nun läuft die Construktion in einen Satz aus, der mit dem Schlusse von Vs. 1 endet, und zwar mit einer neuen Zeitbestimmung, die näher zum Gegenstande hinführt: Vor dem Paschafeste, da Jesus wußte, daß die Stunde gekommen zc., er, der die Seinigen liebte, — er liebte sie bis ans Ende, und bei dem Mahle, nachdem der Teufel zc. Vs. 2, erhob sich Jesus; Vs. 4, bei dem Bewußtsein, daß zc. Vs. 3." In eadem est sententia Bleek: Beiträge z. Evang.-Kritik, Berlin 1846, p. 126 sq.

11) Rückert l. c. p. 25. 26. Opinio Wieselerii: Chronol. Synopse der vier Evangg, p. 380, qui verba illa cum verbo ἀγαπήσας conjungenda putat, ab Rückerto et Bleekio validis argumentis refutatur.

haerere videtur. Quibus de causis Johannem verbis primi versus c. 13 de eucharistia non cogitasse tenemus.[12] Si quaeritur, cur eucharistiae institutionem silentio praeterierit, res non satis inde explicari posse videtur, quod Johannes a ceteris evangeliorum auctoribus relata satis esse duxerit;[13] illud vero maxime probabile videtur, eum de eucharistiae institutione agere supersedisse propterea, quod rem ecclesiae et traditione et usu satis notam esse pervidisset; ideoque eum potius ad sermones in coena habitos, ad Jesu dicta praeceptaque animum induxisse.[14] Si locum, ubi institutio novae coenae in narrationem Johanneam inseri posse videatur, quaeramus, eorum[15] opinionem rejiciendam putamus, qui eam ante lotionem pedum factam esse statuunt; hanc enim paullo post initium coenae, illam ad finem coenae factam esse ex evangelistarum narrationibus patet. Quum Johannes potissimum in tradendis sermonibus, qui Christo cum discipulis in illa coena fuerunt, versetur, nec qua occasione singuli habiti sint indicet, atque etiam complures arcte inter se conjunctos reddat, qui non sine aliqua intermissione neque uno tenore habiti esse putandi sunt, ejus narrationes aegre ansam praebent locum, cui inserantur, definiendi. Nonne etiam id opinari nobis licet, Johannem in orationum perpetuitate perscribenda non ita ut in rebus enarrandis temporis ratione ductum esse? Ubi

---

12) Patr. III, 503. opinionem suam hoc quoque argumento nobis commendare conatur: „Quum Joannes superius, 6, 48—59, narrasset, ut Christus pollicitus fuerit eucharistiam a se instituendam, προτάσει huic aliqua saltem ἀπόδοσις deberi haud poterat, neque, ut Christus fidem suam liberaverit, praetereundum erat, quin postremae coenae, in qua id praestiterat, mentio saltem aliqua fieret.“ Patritium fugit omnino, Johannem non tam id egisse, ut novae coenae promissionem a Christo factam esse narraret, quam ut orationem illam traderet, qua de cibi potusque, quem esset daturus, vi atque dignitate Judaeos edocuisset. Ceterum in evangelio Johanneo Patritius multa similia reperire poterat, in quibus vel πρότασις vel ἀπόδοσις deesse videatur. Cf. ejusd. lib. I, c. 4, n. 27.

13) Klee: Comm. üb. d. Ev. nach Joh., Mainz 1829, p. 25. Hug: Einl. II, §. 53, Gutachten l. c. p. 26. Olshausen, II, 293—294. Wichelhaus, p. 219.

14) Ebrard l. c. p. 638—639. Adalb. Maier: Comm. üb. d. Ev. d. Joh., II, 283; Einleitung §. 35. Tholuck, l. c. 352.

15) Quod opinatur Sieffert, l. c. p. 152—155.

Christi sermones et orationes referuntur, quasdam sententias, admonitiones, praecepta vel aliquanto prius vel posterius dicta fuisse quis neget? At verum ordinem ubique servavit, ubi non tam verborum quam rerum tenorem memorat. Itaque cum iis Christi dictis eucharistiae institutionem conjungendam esse existimamus, quibus de morte sua instanti et de amore suo erga eos in aeternum duraturo locutus est. Optime quidam interpretes eucharistiae institutionem inter versus 33 et 34 c. 13 interponendam esse statuerunt;[16] sententias tamen quasdam aliis locis memoratas eo referendas esse putamus, ut illam, quae legitur c. 15, 12. 13. Wichelhausio alia componendi ratio ineunda videtur: orationem, qua Christus egit de vite Joh. 15, 1 sqq., habitam esse postquam sumtus esset primus calix, id quod indicari putat verbis a Luca 22, 15 relatis, et eucharistiae institutionem ante orationem Domini, quae c. 17 legitur, ponendam esse arbitratur.[17] Quid? Nonne ipse Wichelhaus aliam fuisse occasionem orationis, quam de vite Dominus habuit, statuit?[18] Atque quod ad orationem Domini c. 17 traditam attinet, ea non tam ad novae coenae institutionem spectare quam ad totam Christi vitam qua hominibus salutem comparaverit quaque Dei gloria manifesto apparuerit respicere videtur. Scilicet Wichelhaus ad hanc componendi rationem adductus est opinione, quam de diversitate coenarum proposuit; hinc ea sententia profecta est: ea, quae ab Johanne capitibus 15. 16. 17. traduntur, in diem posteriorem conferenda esse, quam ea, quae capitibus 13 et 14 narrantur.[19] Quo jure narrationem Johanneam hunc in modum persecuerit, paucis me-

---

16) Adalb. Maier: Comm. üb. d. Ev. Joh., 283—284. 298. Tholuck, l. c. p. 352—358.

17) Wichelh. p. 220. 269.

18) Wichelh. p. 166: „Das Gleichniß vom Weinstock könnte, wie schon bemerkt, dadurch veranlaßt sein, daß der Weg gerade an einem Weinstocke, der eben beschnitten war oder wurde, vorbeiführte."

19) Wichelh. p. 165: „Die Wendepunkte sind also bei Johannes der Reihe nach folgende: 1. c. 12, 36. Jesus entfernt sich aus Jerusalem und verbirgt sich vor dem Volke. Dienstag Abend. 2. c. 13, 1. Das Paschafest, der Zeitpunkt des Geopfertwerdens, steht bevor: Jesus hält seine Jünger in ewiger Liebe umfaßt; es ist aber der Verräther in ihrer Mitte. Mittwoch Abend. 3. c. 13, 30. Der Verräther hat sich entfernt. Jesus eröffnet sein ganzes Herz seinen Jüngern. Die Nacht auf Donnerstag und

morabimus. Si coena, de qua narret Johannes, Christi suprema fuisset, dicit Wichelhaus, Jesu sermonibus c. 15 et 16 traditis locum non futurum fuisse; coenam enim jam versu 30. c. 13. finitam significari.[20] Johannes quum non in coena describenda, sed in sermonibus tradendis versetur, in quaestione de ipsius coenae ordine et ratione nobis non princeps est testis; ubi tandem finem coenae factum diserte indicat? Sermones quosdam inter coenandum habitos esse patet. Nonne eum post coenandum multa cum discipulis collocutum esse existimemus? Si aliquantum in coenaculo commorabantur, quod verisimillimum habemus, commode orationes posteriores ibi haberi poterant. Quam apte autem ad eas conveniat invitatio illa: *ἐγείρεσθε, ἄγωμεν ἐντεῦθεν*, 14, 31, ab interpretibus satis demonstratum est.[21] Ea, quae leguntur c. 13 et 14, priora fuisse illis, quae capitibus sequentibus narrantur, Wichelhaus etiam e voculis *ἔτι μικρὸν* conjicit.[22] Christum haec verba, quibus Petri lapsum praedixit, locutum esse ante egressum in hortum Gethsemane, supra demonstravimus. Atque prius haec dicta sunt, quam quae sunt apud eundem evangelistam c. 16, 16: *Μικρὸν καὶ οὐ θεωρεῖτέ με*, quae vespera suprema a Christo dicta esse Wichelhaus nobiscum consentit. Quid igitur obstat, quin ea aliquot horis antequam Christus ab Judaeis comprehensus esset dicta esse statuamus?[23]

P. V. Utrum Christus agnum paschalem in coena cum discipulis comederit necne.

Maxima videtur esse narrationum discrepantia inter Johannem et priores tres evangelistas, ubi de die sermo est, quo

---

der Donnerstag selbst. 4. c. 14, 31. Der Aufbruch nach Jerusalem zur Paschafeier. 5. c. 18, 1. Der Gang nach Gethsemane."

20) Wichelh. p. 164: „Dazu kommt nun, daß die Reden c. 14—16 gar keine Stelle haben, wenn bereits c. 13, 30 das Abendmahl beendet sein soll."

21) Cf. praecipue Bleek l. c. p. 236—239.

22) Wichelh. l. c. „Beachten wir namentlich das *ἔτι μικρὸν* v. 33 vergl. c. 14, 19, so können diese Worte (Joh. 13, 31—38) unmöglich auf dem Wege nach Gethsemane gesprochen sein; sie müssen früher gesetzt werden."

23) Ita Wichelhaus p. 165 verba *ἔτι μικρὸν* v. 33 vertit: „nur noch wenige Stunden."

coena habita sit, atque quo Judaei illo anno agnum paschalem legitimum comederint. Synopticis enim auctoribus Christus cum discipulis agnum paschalem in suprema coena comedisse, Johanne vero teste mortem eo die, quo Judaei pascha legitimum immolabant, obiisse videtur. Quam difficultatem ut superarent, alii alia via traditiones diversas inter se conciliare conati sunt; atque etiam inveniuntur interpretes, qui hac in re evangeliorum auctores omnino inter se repugnare contendant. Quod ad nostros attinet, et Patritius et Wichelhaus traditionem Johanneam ad synopticorum narrationes facile applicari posse arbitrantur Jesumque die lege constituto agnum paschalem comedisse et die festo paschatis primo cruci adfixum esse statuunt. Hanc quaestionem nos ita instituemus, ut primum de iis agamus, quae in narratione Johannea ad rem pertinere videntur, deinde ea, quae apud quatuor evangelistas reperiuntur, exquiramus atque, quae synoptici propria tradunt, investigemus, tum quem disceptationis exitum consequamur proponamus.

Johannes coenam Christi supremam institutam esse ait πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα, 13, 1 sqq.[1] Sunt, qui contendant: inde non coenam, sed pedum lotionem ante diem festum paschatis factam esse apparere; hanc enim illi, qua diei festi initium factum sit, paullo antecessisse eaque diei parte, quae priori diei tribueretur, locum habuisse.[2] Cui explicationi praeter alia id etiam obstat, quod Johannes coenae initio jam facto a Christo pedes discipulorum ablutos esse tradit. Neque minus coacta videtur eorum explicatio, qui verba πρὸ τῆς ἑορτῆς idem esse dicunt atque ἐν τῷ προεορτίῳ; nulla re eam confirmari interpretes satis demonstraverunt.[3] Sed tamen concedendum putamus, verba esse prorsus infinita, ut vocabulo πρὸ tempus diei festo, quem prope abfuisse jam cap. 12 perhibetur, proximum significari possit; quin coenam illam cum die festo quodammodo conjunctam fuisse indicare videntur. Addi potest, Johannem more Graecorum et Roma-

---

1) Vide supra p. 37.

2) Hengstenberg: Ev. K.-Ztg. 1838, p. 788 sq. Idem statuerunt Osiander, cf. Lampe l. c. p. 4, n. a. Michaelis, cf. Storr l. c. 228.

3) Cf. Iken, Diss. IX, c. 4.

norum dies a media nocte computandi recepto vesperam videri diei priori attribuisse.[4] Quid vero est, quod Johannes illius coenae mentionem faciat omisso articulo? 13, 2: *δείπνου γενομένου*. Nonne, sive de coena paschali sive de eucharistica agebat, ei scribendum erat *τοῦ δείπνου*? Sane quidem, si scriptor ad coenam paschalem aut coenam Domini respectum haberi voluit. Quum autem tantummodo de pedum lotione et qui subsecuti sunt sermonibus commemoret ceterasque res omnino negligat, hoc loco coena non debebat significari ut nota et pervulgata; quam etsi ubique notissimam esse sciret, e scriptis tamen suis eam ut cognitam memorare non potuit. Mirum esset, si evangelista ita ad res, quas literis perscribi ejus non intererat, respexisset. Quamobrem etiam in loco Joh. c. 21, 20 (*ὃς καὶ ἀνέπεσεν ἐν τῷ δείπνῳ*) articulus non alio referre videtur, quam ad hanc narrationem c. 13, 23. 25.[5] Coenam non fuisse paschalem legitimam, nequaquam e versu 26 potest colligi;[6] *ψωμίον* s. offam, quam intinctam Jesus Judae dedisse narratur, coenae paschali convenire, non videtur negandum. Hac voce quum omnis generis esculentorum frusta s. buccellae significentur, herbae convolutae et panes cum herbis amaris intincti, qui a patre familias convivis distribui solebant ita nominari potuerunt.[7] Aliud argu-

---

4) Reland: Antiquitates sacr. vet. Hebr., p. IV, c. 3. Jahn l. c. III, 313. Hug: Zeitschr. f. d. Geistlichkt. d. Erzb. Freiburg, V, 90 sqq. Ad. Maier: Comm. üb. d. Ev. Joh., II, 280. Ita etiam Patritius, III, 504—505.

5) Contra arbitratur Tholuck in Comment. p. 340, cf. p. 46: verbis c. 21, 20 coenam ut Christi cultoribus aliunde notissimam significari eamque coenam paschalem fuisse confirmari. Cf. etiam Movers: Ueber das letzte Passamahl u. den Todestag des Herrn, in: Zeitschr. für Phil. und kath. Theologie, Köln 1833, p. VIII, p. 80. Quae praeterea Tholuck l. c. Wichelhausio respondet, quaestionem vix tangere videntur, quum de respectu ad coenam et Judaeis et Christianis notissimam habendo agatur.

6) Ut vult Wichelhaus, qui hoc argumento utitur ad coenarum diversitatem probandam, l. c. p. 158—159.

7) Lampe in Joh. 13, 26. Kuinoel in Comm. in Joh. 13, 25. Friedlieb: Archäolog. der Leidensgesch., Bonn 1843, p. 54 sqq. Tholuck l. c. p. 348 sq. Cf. J. Buxtorf. Fil., Dissertat. philol.-theol., VI, p. 288. 291. 303.

mentum repetitur ex vers. 29. Discipuli quum verba quibus Dominus Judam abire jussit: Ὃ ποιεῖς, ποίησον τάχιον, non intelligerent, alii Jesum Judae, qui loculos gereret, mandasse opinabantur, ut quae ad dies festos agendos opus essent emeret, alii Jesum ei dixisse putabant, ut egenis aliquid daret. Vespera illa, qua coena paschalis ageretur, fieri non potuisse contendunt,[8] ut discipuli ejusmodi opiniones haberent. Apud quemnam Hierosolymitanorum illa hora quidquam emi potuisse, quum tabernis mercatoriis clausis Judaeorum quisque coenae paschali interesset? Tumne demum, ubi dies festus jam adesset, Dominum ea, quae opus essent, parasse existimemus? Et egenis stipem largiri quis cogitaverit, quum pauperes quoque, qui coenam agere vellent, alicubi jam accubarent? Certe ex his verbis effici existimamus, Judam non sera nocte a Domino dimissum esse, sed quum modo tenebrae subortae essent, ut nos computamus, septima fere vesperae hora, id quod verbis ab Johanne additis 13, 30: ἦν δὲ νύξ, indicari videtur.[9] Aliter, qui fieri potuerit, ut ad tales opiniones discipuli laberentur, vix possimus assequi.[10] Si vespera erat paschalis, excusandae quidem videntur discipulorum opiniones, etsi coenae initium ab omnibus Hierosolymitanis factum jam fuerit; magis tamen videntur convenire vesperae diei prioris, quo tempore in maxima hominum, qui convenerunt, multitudine ea, quae ad dies proximos agendos necessaria essent, parari oportebat, atque hac vespera Jesum Judae, ut egenis aliquid daret, mandavisse opinari par erat. Nihil tamen certius inde quoque conjici posse arbitramur. Itaque ad alia transeamus, quae ad hanc quaestionem pertinentia apud Johannem leguntur.

---

8) Lamy. Calmet. Movers. Sepp. Bleek. Wichelhaus. Quae contra afferuntur, ut a Besangio, in Introductione in SS. quat. Evangg. crit.-herm.-hist., Ven. 1775, p. 616; Tholuckio l. c. p. 351, aliis, id quod volunt non probant.

9) Hugo Grotius in Adnotatt. in Johann. 13, 30. Kuinoel in Joann. 13, 30.

10) Nisi forte iis assentiri volumus, qui prorsus nihil ex his verbis colligi posse censent: discipulos enim consilii inopes causam discessus Judae quaerentes in varias opiniones absonas alienasque incidisse. Lampe. Theile. Sieffert. Rauch. Tholuck.

Jesus ex horto a militibus ad Hannam, socerum Caiaphae, inde ad Caiapham, pontificem ejus anni, et quaestione habita primo mane in praetorium deductus est, in quo procurator Romanus quum Hierosolymis versabatur habitabat. Judaei autem, qui secuti erant, praetorium ingredi religione prohibebantur: οὐκ εἰςῆλθον εἰς τὸ πραιτώριον, ἵνα μὴ μιανθῶσιν, ἀλλ' ἵνα φάγωσι τὸ πάσχα. Joh. 18, 28. Baronium [11] secuti hunc locum plurimi explicant: manducare pascha non tantum de agno paschali dici solitum esse, sed etiam de quolibet sacrificio, quod illis diebus festis offerri soleret, quibus agni, vituli, arietes, hirci, boves, tauri immolarentur singulis diebus: quae sacrificia et ipsa, sicut et agnos, pascha dicta esse. Cf. V Mos. 16, 2. 3. II Chron. 30, 22; 35, 8. 9. Cf. Lightfooti Hor. hebr. in ev. S. Joh. 18, 28. Etiamsi verba πάσχα φαγεῖν eam in sensum interpretari liceat, [12] hoc loco tamen ipsius agni paschalis comestionem significare videntur, ut apud Matth. 26, 17; Marc. 14, 12. 14; Luc. 22, 8. 11. (15.). Cf. II Mos. 12, 48 sqq.; IV Mos. 9, 11; II Chron. 30, 18. Quum enim chagiga per plures dies edi licitum esset, non erat cur synedrii assessores istam contaminationem adeo reformidarent; atque etiam sacrificiis chagiga illo die, quo Jesum capitis damnarunt, vesci prohibebantur. [13] Ceterum quod ii, quorum sententiae sunt Patritius et Wichelhaus, contendunt, contaminationem istam eodem die, quo facta sit, abluendo potuisse tolli, recte dubitatur, num in earum contaminationum

---

11) Baronius in Annalibus Ecclesiast., ann. Chr. 34. Rob. Bellarminus in Disputatt. de Controvv. chr. fid., t. III, controv. III, lib. 4, c. 7, p. 360. Tillemont in: Memoires pour servir à l'hist. eccl., t. II, in append. Bynaeus l. c. III, 1, 3. 4. Reland l. c. Jahn l. c. p. 314. Hengstenberg. Wieseler. Patritius. Wichelhaus. Tholuck. Notanda sunt verba Wichelhausii p. 220 sq.: „Wenn es nun von den Juden heißt: sie gingen nicht ins Prät., ἵνα φάγωσι τὸ πάσχα, so frage ich, wie wird ein wirklich unbefangener und vorurtheilsfreier Leser diese Worte verstehen? Von dem Paschalamm? unmöglich, denn es war ja bereits der 15. Nisan."

12) Id quod negant Iken, Diss. IX, c. 1. Sal. Deyling in Observatt. Sacr. P. I. Diss. LII, §. 6. Storr l. c. p. 216 sqq. Movers l. c. VII, p. 69—75. Bleek l. c. p. 109 sqq.

13) Movers l. c. p. 73. 74.

numero habenda sit.[14] Quid, si Pharisaei, quae eorum erant religiones, ab iis quoque rebus quae minus contaminabant, ut coenam illam in quo agnus comedebatur sanctissime agerent, abstinebant? Quam coenam intelligendam esse, Johannes etiam articulo posito indicare videtur.[15] Videamus, ceterisne rebus, quae huc pertinent, haec explicatio confirmetur. Diem, quo Jesus a Pilato procuratore Judaeis crucifigendus traditus sit, fuisse legimus παρασκευὴν τοῦ πάσχα; Joh. 19, 14: ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ πάσχα. Patritius hanc profert explicationem: „Sicut Judaei hebraice loquentes nomen ערובתא, cujus notatio eadem est ac nominis ערב, proinde certam dumtaxat horam, hoc est, vesperam, proprie significans, horam, inquam, illam, qua die Veneris, quae opus essent sabbato rite agendo, parabantur, eo usque veluti extenderunt, ut integrum diem Veneris sic nominarent, ita Judaei graeco sermone utentes nomen παρασκευήν, quod illam ipsam praeparationem significabat, fecerunt tum horae diei, qua praeparatio hoc erat, vesperae inquam, quae diem sextum hebdomadae claudit, tum toti huic diei sexto, quem etiam προσάββατον vocare mos fuit, Judith 8, 6; Marc. 15, 42. Quibus haec comprobemus, et Josephi et evangelistarum testimonia praesto sunt.“[16] Ita Wichelhausio quoque παρασκευὴ τοῦ πάσχα feria sexta paschalis esse videtur, quum apud Johannem vocabulum πάσχα totum azymorum tempus significet.[17] Illud quidem constat, diem sabbato praecedentem dictum esse παρασκευήν; ita hoc verbo utuntur et priores tres evangelistae, Matth. 27, 62; Marc. 15, 42, cf. 16, 1; Luc. 23, 54, cf. 56; et Johannes, 18, 31: Judaei, inquit, Pilatum rogaverunt, ut crucifixorum crura frangerentur, ne corpora sabbato remanerent in cruce, quoniam parasceve erat; ἐπεὶ παρασκευὴ ἦν; itemque 19, 42: corpus Jesu in sepulcro, quod esset prope locum, ubi crucifixus esset,

---

14) Movers l. c. p. 75. Adalb. Maier, II, 361. Bleek p. 112—113. Quaenam fuerit haec immundities variae prolatae sunt opiniones, ut apud interpretes videre possis.

15) Adalb. Maier l. c. 281.

16) Patritius III, p. 508, n. 37.

17) Wichelh. p. 210: „Παρασκευὴ τοῦ πάσχα heißt also ganz einfach: der Freitag im Paschafeste (Johannes hat, wie gesagt, immer τὸ πάσχα), wie Ignatius sagt (ad Phil. c. 13): σάββατον τοῦ πάσχα.“

conditum esse ait propter parasceven Judaeorum; ἐκεῖ οὖν διὰ τὴν παρασκευὴν τῶν Ἰουδαίων ... ἔθηκαν τὸν Ἰησοῦν. Sed his in locis vocabulo παρασκευὴ inesse non vim nominis proprii feriae sextae, sed significationem praeparationis, ut intelligi oporteat vocabulum sabbati, apparet. Quod ad locum Matthaei 27, 62 attinet: Τῇ ἐπαύριον, ἥτις ἐστὶ μετὰ τὴν παρασκευὴν, συνήχθησαν οἱ ἀρχιερεῖς κτλ., eo praeter ceteros confirmari videtur, vocabulum παρασκευὴ significatu nominis proprii positum esse; non enim ita dicere poterat apostolus, si praeparationis vim, quae ei inesset, respiciebat. Sed nonne idem esse videtur, si nominis proprii vim sub eo subjectam esse statuitur? Qui poterat apostolus scribere: postero die, qui erat post diem Veneris vel feriam sextam? Haesitant interpretes, quid causae afferant.[18] Evangelistam significare voluisse opinatur Kuinoel in Matth. p. 791: quum dies posterior vix incepisset, die παρασκευῆς jam exeunte; cui interpretationi non conveniunt verba μετὰ et ἐστί. Apud Christianos eo tempore, quum Matthaeus evangelium conscripsit, notio παρασκευῆς ut diei, quo Christus necatus est, aliquantum jam obtinuisse videtur, id quod posteriori aetate fuisse constat. Haec igitur observemus. Παρασκευὴ dicebatur dies praeparationis sabbati insequentis; quam autem dies quidam festi dignitate et sanctitate sabbati fuerint atque non minus quam sabbatum praeparationis dies habuerint, παρασκευὴν τοῦ πάσχα[19] diem praeparationis paschatis fuisse pro certo

---

18) De Wette in: Studien und Kritiken, 1834, 4, p. 948. Bleek p. 117: „Es bleibt daher nur die im Ausdrucke überhaupt ganz eigenthümliche Stelle Matth. 27, 62."

19) Verbis ev. Marc. 15, 42: ἐπεὶ ἦν παρασκευή, ὅ ἐστι προσάββατον probabile reddi, vocabulo παρασκ. vim inesse nominis proprii atque ita explicandos esse locos Johanneos, cum Adalb. Maiero l. c. 373 consentit Friedlieb: Erinnerungen u. Kritiken, Bresl. 1857, p. 56. In eadem quidem sententia vocabulum positum esse existimamus atque apud Matthaeum 27, 62. Ceterum moneamus oportet, Marcum hac definitione addita non tam tempus accuratius definire, quam verbum iis, qui essent rerum Judaicarum inscii, interpretari voluisse. Cf. quae infra dicemus de verbis ejusd. ev. c. 14, 12. Certe observandum est id, quod adnotat Adalb. Maier l. c.: — „der Genitiv τοῦ πάσχα gibt eine nähere Bestimmung von diesem Sabbathvortag, = ἐν τῷ πάσχα (vgl. Ignat. ep. ad Philipp. c. 13. Sokrat. Hist. eccl. V, 22); es war

putamus. Evangelistam enim si dicere voluisset παρασκευὴν ἐν τῷ πάσχα, non ita ambigue scripturum fuisse existimamus, ut eo vocabulo uteretur, quod illa conjunctione etiam interpretari licet diem praeparationis diei festi; atque si dies festus primus illo anno in παρασκευὴν sc. τοῦ σαββάτου, in feriam sextam, incidisset, ut ejus interpretationis auctores atque defensores statuunt, quomodo eum scriptor noster nomine παρασκευῆς dicere poterat, quo etiam dies antecedens significabatur? Etiamsi igitur vocabulum παρασκευὴ solum positum quasi nominis proprii vim habuerit, quod tamen ex locis evangeliorum paucissimis, in quibus reperitur, non satis intelligitur,[20] idemque significaverit, atque ubi vocabulo σαββάτου conjunctum legitur, hanc notionem, nisi firmiora quaedam argumenta accedant, ei tribuere non licet, ubi vocabulum τοῦ πάσχα adscriptum est isque dies, cui et ipsi praeparationis dies praecedebat, significari debebat.[21] Mirum sane videretur, si Johannes diem sanctissimum, dierum festorum ac solemnium omnium fere primum, eo nomine dixisset, quo ejus rei nulla ratio haberetur. Patritius, cur in eo loco, de quo agitur, significationem angustiorem vocabulo inesse sibi videatur, III, p. 509, n. 41 expedit: quod horae nonae ejus diei mentio fiat, indicio esse, nomine parasceves tempus horis distinctum significari, non igitur esse praeparationem, sed vel diem vel vesperam. Quis quaeso contendit unquam id, quod Patritius impugnat? Certe παρασκευὴ non est actio praeparandi, sed dies praeparationis et quidem, ut animadvertit Patritius, totus dies, non vespera tantum diei. Alterum argumentum e versione syriaca, quae reddat ܥܪܘܒܬܐ, quod Syris sit dies Ve-

---

ein Rüsttag in der Paschazeit, ein Osterfreitag. Da dieses Jahr das Pascha auf den Sabbath fiel, vgl. 18, 28 mit 19, 31, so war diese παρασκευὴ freilich auch Vortag des Pascha."

20) Praeparationis diem vocabulo παρασκευὴ etiam in loco Josephi Antt. 16, 6, 2: ἐγγύας μὴ ὁμολογεῖν. ἐν σάββασιν, ἢ τῇ πρὸ ταύτης παρασκευῇ ἀπὸ ὥρας ἐννάτης, significari docet Movers l. c. p. 65 sq.: hoc Augusti decretum non ad sabbata tantum, sed etiam ad dies festos, qui erant sanctitate sabbati, pertinuisse observavit. Cf. etiam Bleek, p. 117, qui addit: superflua fore verba πρὸ ταύτης, si solummodo dies Veneris diceretur.

21) Movers l. c. p. 67. Bleek 115 sqq.

neris. Sed haec vox eadem est, idemque significat atque עריובתא et ערב; vespera, ערב שבת vespera sabbati s. dies sabbato praecedens; ערב יום טוב vespera diei festi, dies qui diei festo praecedit, ערב אצרת, ערב פסח vel ערב יום טוב הראשון של פסח.[22] Exempla vide apud Deylingium in Observatt. Sacr. Diss. 52 de die J. Ch. emortuali, 1—3, et Ikenium, Diss. IX, c. 2, §. 2. Maximi vero momenti Patritio esse videtur, quod ad vocabulum παρασκευὴ articulus non positus est. Minus diligentem in articulo observando Patritium supra (p. 37) deprehendimus. Quid in hac re offendit? Si vel praeparationem, inquit, hoc in loco nomen παρασκευὴ vel diem, qui pridie paschatis esset, designaret, omitti articulus nullo modo potuisset, non enim ut nomen proprium aut ἀοριστικὸν esset positum. Nescio an haec verba non intelligam. Hoc loco articulus eo magis omitti potuit, quod addito verbo τοῦ πάσχα illud ἀοριστικόν, quod dicit Patritius, omnino tollitur; ubi nomen ipsum per se, quae res dicatur, indicat, articulum saepissime omitti, plurimis exemplis evangelia docent. Quum igitur scriptori eum vel ponere vel omittere licuerit, inde argumentum, quo id, quod sectatur Patritius, efficiatur, non potest erui.[23] Qua de causa hunc locum iis potius, qui agnum paschalem legitimum die παρασκευῆς, quum Christus supplicio adficeretur, nondum comesum fuisse statuunt, opportunum esse arbitramur. Aliis tamen argumentis quaestionis momentum fieri necesse est. Johannes, ubi Judaeos Pilatum adiisse et rogavisse narrat, ut eorum, de quibus illo die supplicium esset sumtum, corpora cruribus fractis sepeliri liceret, causam, cur id fecissent, interponit: appetivisse

---

22) Vespera paschatis i. e. pridie diei festi paschatis supplicio affectum esse Jesum traditione judaica confirmatur. Cf. Iken, l. c. p. 395. Movers VIII, p. 69. Cui testimonio talmudico multum ponderis tribuendum esse plurimi censuerunt.

23) Monendum putamus, esse etiam, qui indidem, quod articulus omissus est, colligendum putaverint, diem praeparationis intelligi necesse esse; Rückert l. c. p. 32: — „Endlich würde der Osterfreitag (ut interpretatur Patritius) nicht παρασκευὴ τοῦ πάσχα, sondern ἡ παρασκευὴ ἡ ἐν τῷ πάσχα heißen und noch die ganze Bemerkung sehr wenig sagend sein." Quae praeterea de hac re dicit Patritius, nugae sunt, ut ea, quae III, p. 509, n. 40 ad verba c. 19, 42: διὰ τὴν παρασκευὴν τῶν Ἰουδαίων, adnotat.

sabbatum; illius enim sabbati diem fuisse magnum s. inprimis solemnem, Joh. 19, 31: *ἵνα μὴ μείνῃ ... ἐν τῷ σαββάτῳ· ἐπεὶ παρασκευὴ ἦν· ἦν γὰρ μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνου τοῦ σαββάτου.* Judaei corpora ante sabbati initium auferri volebant: prope enim aderat sabbatum, quod dies, quo cruci suffixi sunt, parasceve fuit; quin sabbatum erat praeter alia solemne. Itaque sabbatum apostolus additis verbis: *ἦν γὰρ μεγάλη* cet., quae non ad verbum proximum *παρασκευή*, sed ad illa *ἐν τῷ σαββάτῳ* pertinent, accuratius describit, non parasceven, quasi haec non fuerit communis quaedam, sed sanctior et insignior;[24] namque quod scriptor ea verba interposuit, ita explicandum videtur: quum sabbati mentionem fecisset religiosissime agendi, id quo magis praedicaret, in primis illud solemne fuisse addidit. Lectio hujus loci magis vulgaris, quae *ἐκείνη* praebet pro *ἐκείνου*, aliquam sensus mutationem efficit, quam his verbis exponit Patritius: Qui ait: magnum fuisse diem illum sabbati (secundum lectionem Vulgatae), eam solummodo hujus diei religionem exprimit, qua quivis dies sabbati sanctus habebatur ceterisque hebdomadae diebus praestabat, non vero aliquid, quod illi sabbato proprium esset; qui autem magnum fuisse diem illius sabbati, peculiarem aliquam sive religionem sive excellentiam illi sabbato prae ceteris sabbatis attribuit. Quare si priore modo legendum est (*ἐκείνη*), sicut legimus in exemplaribus latinis, nullum est argumentum, quo ex his verbis depromto impetitur sententia nostra, sensus autem est, aetate illa, qua gesta ea fuere, quae Johannes narrat, septimum diem hebdomadae, qui sabbatum vocatur, magnum fuisse, hoc est Deo sacrum, proinde religiose agendum. Neque ab ea re id notavit Joannes, quippe qui nec Judaeis scriberet, nec citius, quam sexaginta fere post annis, ex quo sabbati religioni fuerat abrogatum.[25] Quis non miretur hanc expli-

24) Quod opinatur Lücke l. c. p. 622: „daß Johannes nicht die wöchentliche *παρασκευή* meint, sondern die außerordentliche festliche, geht aus der Parenthese hervor: *ἦν γὰρ μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνου τοῦ σαββάτου*, welche, zumal in dieser Form, keinen Grund und Zweck hat, wenn die *παρασκευή* die gewöhnliche sabbathliche war."

25) Patr. III, p. 510, n. 45.

candi rationem? Christianos sabbatum ex praeceptis legis Mosaicae religiosissime agendum fuisse ignorasse ultro ponit ille, atque Johannem hoc loco de illius praecepti gravitate admonuisse, cujus in evangelio suo jam saepius mentionem injecerat, ut videre licet in capp. 5. 7. 9. Sive lectio prior sive altera retinetur, major quaedam sabbati solemnitas iis verbis declaratur; neque ullus interpretum priorum, qui lectionem ἐκείνη tenebant, interpretationem Patritianae similem protulit. Nos quidem inter lectiones ἐκείνη et ἐκείνου id interesse existimamus: illa significari diem, quo ea acta essent, sabbati fuisse praeter cetera sabbata solemnem, hac autem: in primis solemnem fuisse diem (illius sabbati i. e. diem) sabbati, quod a ceteris sabbatis aliquid differret. Lectione igitur ἐκείνου, quae procul dubio praeferenda est, excellentia sabbati, ante cujus initium corpora sepeliri debebant, magis perspicue significari et paullo certius indicari videtur, in sabbatum illud incidisse diem festum paschatis. At, objicit Patritius, cur dicitur curae fuisse Judaeis, ut non remanerent in cruce corpora ἐν τῷ σαββάτῳ, non autem ut non remanerent in cruce corpora ἐν τῷ πάσχα, in die paschatis?[26] Quod facile inde explicandum videtur, quod sabbati sanctitas omnium maxima fuit eaque dierum festorum sanctitas aestimabatur. Quoniam qui affigebantur patibulo, eodem die, quo morte multabantur, erant sepeliendi, V Mos. 21, 22. 23; non propter sabbatum tantum vel diem festum paschatis corpora de crucibus sublata sunt; sed qua religione Judaei sabbatum observabant, majori cura diligentiaque officio suo sabbato atque die festo paschatis instante satisfaciendum putabant.[27] Ἡμέραι μεγά-

26) Patr. III, p. 511, n. 48.

27) Adalb. Maier II, 384; Tholuck p. 427. Verba sunt, quae leguntur apud Patr. l. c.: „Cur Joannes hanc περίφρασιν, quae nil nisi tenebras historiae ceteroquin perspicuissimae adfunderet, usurpasset? Num illud, quod Judaei cautum avebant, sabbatis dumtaxat aut potissimum sabbatis cavendum erat? An non quocunque die, idque legibus ea de re latis (Deut. 21, 22. 23)? An quia magis diem sabbati illud dedeceret? An nonne maxime diem paschatis?. Vel igitur ex lege rei hujus causa promenda fuit, vel, si ex diei religione, ex paschatis potius quam sabbati.“ Maxima enim erat sanctitas sabbati ad eamque dierum festorum religio referenda.

λαι autem ii dicebantur dies, qui praeter alios festi ac solemnes erant, et opponebantur diebus festis minoribus, qualis praeter sabbatum, quod intercidebat, erant dies paschatis inter primum et septimum intervenientes. Qui interpretes Jesum agnum paschalem legitimum cum discipulis comedisse existimant, in loco Joh. 19, 31 hoc nomine significari statuunt diem festum paschatis secundum, qui illo anno in sabbatum inciderit; sed quidquid de sanctitate diei secundi affertur,[28] tamen, quod sicut ceteri dies intermedii sive ἐργάσιμοι minori fuit sanctitate, non satis probari potest, eum potuisse dici ἡμέραν μεγάλην. Sed etiamsi probabile efficiatur, potuisse diem secundum hoc nomine praedicari, si ea, quae etiam diebus intermediis erat, sanctitas sabbati sanctitati accederet, consequens tamen esse videtur, ut primum diem festum intelligamus, nisi aliunde argumenta, quibus altero sensu verba sumenda esse demonstretur, afferamus. Qua de causa nobis persuasum habemus, ἡμέραν μεγάλην fuisse diem primum festum, cujus sanctitas eximia sabbato accedente etiam aucta sit. Moversio, qui hunc diem ita nominatum esse existimat propter solum magnum diem festum, qui in sabbatum incidit, consentire non possumus, quod cum ea interpretatione verborum versus 31 nexus et ratio, qua conjunguntur, pugnare videtur.[29]

Jam ea consideranda sunt, quae e quatuor evangelistis sumuntur argumenta ad quaestionem, quam tractamus, solvendam. Quod Jesus cum discipulis in coena ad mensam accubuit, Matth. 26, 20; Marc. 14, 18; Luc. 22, 14; Joh. 13, 4. 12, Israelitae vero nocte, qua agnum comederunt in Aegypto, stantes edisse videntur, Exod. 12, 11, non esse argumento, quo quid probari

---

28) Patr. III, 510, n. 46: „Habes itaque, verba sunt Patritii, quibus id demonstrandi finem facit, plurima quae diem illius sabbati (diei festi secundi) ceteris diebus atque adeo ceteris sabbatis insigniorem facerent sanctioremque." Contra paullo post demonstrat Patritius: „etsi non primi diei azymorum, diei tamen secundi religione religionem sabbati longe fuisse augustiorem;" p. 511, n. 49.

29) Movers VII, 69: „Johannes nennt den Tag nicht μεγάλη, weil der Festtag mit dem Sabbat zusammentraf, noch viel weniger, weil der Sabbat auf ihn fiel, sondern weil in dem Jahre eine ἡμέρα μεγάλη auf den Sabbat einfiel." Vide de hac re Lampium l. c. 625; Carpzovium l. c. 384; Ikenium l. c. cap. 3.

possit, inter omnes constat; Judaeis enim posteriori aetate mos erat in illa coena recumbendi.[30] Non ita leve esse multis videtur, quod Jesus cum discipulis coena finita in Montem Olearum egressus esse narratur, Matth. 26, 30; Marc. 14, 26; Luc. 22, 39; Joh. 18, 1. Idne nocte, qua coena paschalis habebatur, fieri licuit? Cum Israelitis lege praescriptum esset, ut pascha comederent in loco, quem electurus esset Dominus, et postridie in sua quisque tabernacula reverterentur, Deut. 16, 7, sicut in Aegypto iis edictum esse legitur: ne quis eorum egrederetur ostium domus usque ad ipsum mane, Exod. 12, 22, statutum fuit tempore posteriori: ne quis illa nocte Urbe excederet.[31] Sed non esse diligentissime observatum hoc praeceptum, e scriptis rabbinorum patet.[32] Atque Christus extra fines Urbis sacros abiisse non videtur; locus enim, quo cum suis secessit (sabbati fere iter a muris aberat, Act. 1, 12) cum agris et aedificiis prope Urbem ad montem positis perinde atque vicus Bethphage[33] ipsius Urbis fuisse existimandus est.[34] Ibi Jesus noctes transigebat, interdiu Hierosolymis morabatur: Luc. 21, 37; 22, 39; cf. Matth. 26, 18; Marc. 14, 13; Luc. 22, 10; Christus maxima hominum multitudine ad dies festos agendos in Urbem confluente loco remotiori domicilium deligebat.[35] Contra quae subsecutae sunt

30) Cf. Lightfoot: Minist. templ. 733—734; Hor. Hebr. in Matth. 26, 20. Bynaeus l. c. I, 6, 23. Buxtorf l. c. p. 306—309.

31) Lightf. l. c. in Marc. 14, 26: Tenebantur canonibus traditionalibus ad pernoctationem intra Hierosolymam. Pesachim fol. 95, 2: Paschate primo tenetur quispiam ad pernoctationem, paschate etiam secundo tenetur ad pernoctationem.

32) Lightfoot: Minister. Templ. (Opp. I, 727), de discrimine agens, quod fuerit inter pascha Aegyptiacum et pascha Judaeorum temporibus reipublicae postremis agi solitum e Thosaphta (in tract. Pesachim Per. 8) haec affert: In potestate Aegyptiaca dicitur: Nemo vestrum limine aedium suarum exibit ad matutinum tempus, sed sic non fuit in sequentibus generationibus. — Ubi comedebant pascha in Aegypto, ibi etiam pernoctare debuerunt, sed posterioribus temporibus comedebant in uno loco et pernoctabant in alio.

33) Vide Lightfooti Cent. Chorogr. Matth. praem. in Hor. hebr. p. 72—75.

34) Hengstenberg. Movers.

35) Qui locus etsi a Luca ad Bethaniam refertur c. 24, 50, coll. Act. 1, 12, tamen cum ipso vico Bethaniae non est confundendus, ut

res ejusmodi prae se ferunt speciem, ut diei festo paschatis convenire omnino non videantur. Summa religione dies festos agi solitos esse et scriptura sacra (Lev. 23, 7. 15) et rabbinorum scripta docent.[36] Neque tamen non quaedam iis fieri licebat, quae sabbatis agi decreta vetabant.[37] Sed non recte Patritius nihil quod diei festi primi religionem violaret evenisse, ex verbis c. 26, 5 apud Matthaeum (Marc. 14, 2) argumentum ducit, ubi narratur: synedros, quum Jesu de medio tollendi consilium caperent, cautionem adhibendam esse consensisse atque eum die festo comprehendi rem magni periculi duxisse; Matth. 26, 5: — *μὴ ἐν τῇ ἑορτῇ, ἵνα μὴ θόρυβος γένηται ἐν τῷ λαῷ;* Marc. 14, 2: — *μὴ ἐν τῇ ἑορτῇ, μήποτε ἔσται θόρυβος τοῦ λαοῦ.* Cf. Luc. 22, 2: *ἐφοβοῦντο γὰρ τὸν λαόν;* 5: (*Ἰούδας*) *ἐζήτει εὐκαιρίαν τοῦ παραδοῦναι αὐτὸν ἄτερ ὄχλου αὐτοῖς.* Inde apparere Patritio videtur: synedros ita „censuisse, haudquaquam ob diei religionem, quam causam, si vera fuisset, non praeterissent, sed ne forte tumultus fieret in populo.“[38] Certe diei sanctitas non obstabat, quin Jesum comprehendi juberent. Quid enim, in tanto hominum concursu magistratus Hierosolymitani nonne cavere debebant, ne homines malefici omnia pertubarent? Quae in synedrio tum agebantur, ante omnia eo spectabant, ut Christus caperetur. Die festo autem Judaeorum principes Jesum comprehendi nolebant, quoniam turbas mutuebant (*ἄτερ ὄχλου*). Num inde sequitur, omnia, quae illo die agebantur, die festo primo licita fuisse? Hac de causa, quod Judaei hominum multitudinem adeo metuebant, Judas Dominum concubia fere nocte iis tradidit. Atque etiam eo die, quo captus est Jesus, non tantam, quanta primo die festo esse solebat, hominum multitudinem in Urbe fuisse ea re indicatur. Si Jesus primo die festo supplicio affectus est, Judaeorum principes nocte,

---

confundit Patritius; si loc. Luc. 22, 39 cum priori 21, 37 conferatur, id, quod legitur apud Matth. 21, 17, Marc. 11, 11 sqq., 19 sqq., non de his diebus dictum esse certum videtur. Patr. II, 424; III, 496.

36) Reperiuntur quae huc pertinent apud Ikenium l. c. c. 5; Deylingium l. c. I, 52, §. 8. Moversium VIII, 68 sqq. Seppium l. c. p. 379 sqq.

37) Movers l. c. 62—63.

38) Patr. III, p. 513, n. 55; cf. p. 500, n. 3.

quum agnus paschalis Hierosolymis comedebatur, cum Juda de Jesu comprehendendo egerunt, milites, quorum opera facinus erant peracturi, conquirebant, Jesum, quem discipulus armis defendere conatus est, vinctum in Urbem reduxerunt, ad summum sacerdotem traxerunt, judicium habuerunt, morte multandum procuratori Romano tradiderunt, ut eodem die in crucem tolleretur hunc adduxerunt ipsique egerunt; eodemque die festo myrrha et aloën Josephus Arimathaeus apportavit, mulieres aromata et unguenta emerunt, corpus Jesu conditum sepelierunt — quae omnia decretis prohibita fuisse e rabbinorum scriptis cognoscitur. Accedit, quod etiam priores tres evangelistae, quamvis diligenter in iis, quae illo die acta sunt, enarrandis versentur, ne uno quidem verbo eum ceteris fuisse sanctiorem significant, nisi forte hanc in sententiam interpretanda esse censes, quae leguntur apud scriptores sacros: consuetudinem fuisse apud Judaeos, ut procurator captivum, quem populus ab eo peteret, tempore dierum festorum paschatis dimitteret; *κατὰ τὴν ἑορτήν*, Matth. 27, 15; Marc. 15, 6; Luc. 23, 17; Joh. 18, 39: *ἐν τῷ πάσχα*; itaque a Pilato, quum Judaei Jesum repudiavissent, Barabbam dimissum esse. Hoc esse evidens argumentum ait Patritius,[39] quo efficiatur, festam fuisse illam ipsam lucem, qua Jesus mortuus sit. Illo igitur, inquit, die mane ἑορτὴ et πάσχα jam agebatur ab Hierosolymitis. Quum praepositio *κατὰ* cum accusativo conjuncta significet: circa id tempus, et nonnunquam dies praeparationis ipsis diebus festis adnumeratus sit, quod ipse Patritius concedere cogitur,[40] haec res minime confirmat eorum sententiam, qui diem festum primum jam adfuisse statuunt. Immo verisimile est, captivi dimissionem ipso die praeparationis fieri consuevisse, ut ille, qui eo beneficio frueretur, diei festi celebrationi, cujus pars primaria fuit agni comestio, interesse posset. Hanc sententiam aliis argumentis confirmari videmus. Ad verba illa: — *μὴ ἐν τῇ ἑορτῇ*, Matth. 26, 5; Marc. 14, 2, quorum explicationem supra non ad finem perduximus, nobis redeundum est. Patritius[41] hanc sententiam a synedris

---

39) Patr. III, p. 505, n. 25.

40) Patr. II, n. 156, p. 423; III, p. 505, n. 23.

41) Patr. III, 500, n. 3. Ita etiam Chrysostomus, Theophylactus, Baronius, Tirinus, Bynaeus, alii.

mutatam esse, quum Judas traditorem se offerret, opinatur non majore jure, quam Bellarminus ad argumentum hinc petitum respondet:[42] „Fuit illa quorundam sententia in eo concilio, sed non obtinuit; praevaluit enim eorum sententia, qui judicarunt non esse intelligendam occasionem Christum necandi quocunque tempore." Evangelistas id, quod opinatur Patritius, si factum esset, aliquo modo indicare necesse fuit, vel potius eos, si sententia postea retractata esset, illa verba non scripturos fuisse existimamus. Hoc sensisse videtur Hengstenberg, qui vocem ἑορτὴ non de tempore, sed de hominum turba ad dies festos agendos concurrentium intelligendam esse censet; quae interpretatio quum commenticia sit, non opus est, ut refellatur.[43] Quum synedrii assessores periculosum esse duxerint, Jesum comprehendi tempore, quum hominum multitudo ingens Hierosolyma convenissent, num minoris periculi rem fuisse existimemus, ut Jesus ad judicia per vicos plateasque Urbis traheretur et publice de eo supplicium sumeretur? Qui metu prohibebantur, quominus Jesum die festo paschatis comprehendi juberent, eosne rem non minus gravem periclitatos esse? Pridie itaque diei festi Jesum comprehensum et interfectum esse inde quoque colligendum videtur. Quamvis multi advenae jam in Urbe tunc adfuerint, maxima tamen multitudo die proximo eo concurrerunt. Non sententiam unam e multis, quae in consilio, ut fieri solet, dictae sunt, eamque, quae rejecta vel de qua postea decessum esset, evangeliorum scriptores tradere voluisse, sed id, quod eventu comprobatum esset, literis designasse nobis videntur. Ad eandem sententiam adducimur verbis, quae Jesus ad dominum aedium, in quibus coena pararetur, perferri jussit: Tempus meum prope est: apud te coenam paschalem agam cum discipulis meis. Matth. 26, 18. Tempus, quod dicit Jesus, esse perpessionum et mortis Christi, non horam coenae[44] — dicit enim ὁ καιρός μου — satis constat. Sed quid in causa fuerit,

---

42) Bellarminus l. c. p. 360, n. 2.

43) Ev. K.-Z. l. c. 814.

44) Olshausen l. c. p. 393: „Der Ausdruck ὁ καιρός μου kann in keiner Weise bloß auf die Zeitbestimmung des Mahles gehen, sondern auf die ganze vom Vater geordnete Lebensentwicklung des Sohnes, welche sich nun ihrer Vollendung nahte."

quare Christus hoc illi homini nuntiaverit, inter interpretes discrepat. Certe veram ejus rei causam non assecutus est Gratz, qui verborum sensum hunc esse statuit: Christum, quum certo sciret, sibi mortem jam instare, id, quod animum ejus maxime commoveret, prodidisse et aedificii domino nuntiari jussisse: quamquam tempus mortis suae adesset, tamen apud eum se coenam habiturum esse.[45] Christum commotum cogitatione instantis sibi fati ea verba edidisse facile consentiamus, si qua de causa ea ad dominum domus perferri voluerit intelligamus. Nonne coram id illi dicere magis conveniebat? Miror, quod interpres ille non maluit Maldonati interpretationem sequi, qui ad versum 18 c. 26 Ev. Matth. haec adnotat: „Sunt qui putent his verbis — tempus meum prope est — Christum excusare voluisse, quod ante aliorum Judaeorum tempus Pascha celebraret, quasi dicat se ad praeveniendum Paschae tempus imminentis mortis necessitate cogi. Probabile hoc est et nostram de Paschae Christi ante alios Judaeos celebratione sententiam confirmat; sed illud etiam fortasse probabilius, Christum his verbis amicitiam erga hominem illum et familiaritatem declarare voluisse, quod ex hoc mundo abiturus ultimam apud eum coenam eamque non invitatus, sed familiarissimorum amicorum more sponte sua agere voluerit.“ Equidem illam sententiam probabiliorem, hanc minus probabilem duco. Namque eam, quam praefert Maldonat, contextus non commendat. Quod ea verba primo loco posita sunt, maxima vis eis inesse videtur; si autem ita, ut Maldonato placet, explicamus, causam aliquam leviorem afferunt, quae cur non melius pratermissa sit, praesertim cum homini illi Jesus familiarissimus fuisse atque cum eo de coena in ejus domo habenda jam antea egisse videtur, aegre intelligitur. Quam durus atque contortus esset contextus, si dicere voluisset: Jam vita excessurus tibi amicitiae et familiaritatis hoc praestabo documentum, ut apud te habeam coenam meam ultimam. Atque qua-

45) Gratz l. c. p. 550: „Die Zeit meines Hintritts ist nahe; indeß werde ich doch noch zuvor mit meinen Jüngern bei dir die Passamahlzeit halten. Jesus wußte bestimmt, daß die Zeit seines Todes herangenaht sei. Luk. 22, 15. Dieß war es auch, was jetzt sein Herz ganz einnahm. — — Die Aeußerung ist ganz psychologisch hier an ihrem Orte.“

nam re indicatur, Jesum convivio in illa domo habendo ei amicitiae documentum dare voluisse? Si vero hoc tantum dicere voluit: Brevi decessurus apud te agam coenam, quo illa verba? Quae nisi hoc exprimant: Jesum domino domus, quo familiariter usus videtur, nuntiasse, quoniam tempus mortis instaret, jam illo die apud eum coenam se habiturum, ea omnino non intelligimus.[46]

His igitur, quae adhuc attulimus, argumentis[47] ad eorum sententiam accedere cogimur, qui Christum pridie diei festi

---

46) Lamy. Hammond. Hug.

47) Non ita multum ponderis argumento e die festo pentecostes ducto afferendum putamus. Quod ex antiqua ecclesiae traditione pentecoste nunquam non die dominico celebrata sit, Christum pridie diei festi paschatis occisum esse praeter alios argumentantur Lamy, Toinard, Calmet. A die festo paschatis secundo, quo messis manipuli offerebantur, quinquaginta dies numerabantur eodemque hebdomadis die atque dies paschatis secundus pentecoste agebatur; si autem dies ille eo anno, quo Jesus mortuus est, dies Jovis fuit, dies primus paschatis incidit in sabbatum atque dies praeparationis, quo agni mactabantur, in diem Veneris, unde sequitur, hoc die Jesum, qui sabbato quievit in sepulcro, in crucem sublatum esse. Sed quum illa traditio parum certa judicanda est, cf. Bocharti Hieroz. l. II, c. 50, ed. Rosenm., tom. I, p. 648 sq., nec satis probari potest, pentecosten illo anno in diem, qui excepit primum diem festum, si fuerit sabbatum, incidisse. Borchart l. c. Bellarmin l. c. p. 363, n. 37. 38; cf. II, lib. III, c. 13. Tillemont l. c. II, in Append.; tum alia via festi illius diei institutio facta esse videtur. Nobis quidem persuasum est, diem festum pentecostes a Christianis religiosissime observatum demum posteriori tempore, quum dies festi Christianorum diebus festis Judaeorum non jam essent conjuncti, certo hebdomadis die statutum esse. Ex quo Christiani certis diebus anniversariis memoriam rerum sacrarum colere coeperant, Judaeorum diebus festis relictis pentecosten die quinquagesimo a paschate agi constituisse videntur, non a die secundo, qui religiose coli desitus erat, sed ab ipso die festo computantes. Cf. Iken l. c. §. 5. Similiter de alio argumento, quo nonnulli utuntur, ex historia ecclesiae petito judicandum putamus. In controversiis, quae saeculo secundo de paschate observando ortae sunt, ecclesiae Asiae minoris antistites Joannem apostolum die quarto decimo mensis Nisanis cum Judaeis pascha agendum esse testem excitaverunt atque Polycarpus, Irenaeus, Polycrates eum cum Judaeis pascha illo die comedisse affirmaverunt. Eus. H. E. V, 23, 24 cum notis Henr. Valesii. Cf. Massuet in Irenaei libr. c. Haer., Diss. praev. II, n. 16, ed. Paris. 1710, p. 83. Quo tempore apostoli adhuc

paschatis mortem occubuisse statuunt, quo die exeunte agni paschales in atrio templi mactabantur, ut τὸ ἀντίτυπον τῷ τύπῳ plene responderet. I Cor. 5, 7: καὶ γὰρ τὸ πάσχα ἡμῶν ἐτύθη Χριστός. Quamquam hinc non cum Seppio[48] argumentum sumere cogitamus, quo Christum ipso praeparationis die occisum esse probetur. Itaque Christus agnum paschalem aut non comedisse aut ejus comestionem anticipavisse videtur. Qua de re ut constituatur, primum coenam ipsam, quam Christus egit supremam, animo lustrari oportet, deinde ea, quae apud synopticos de coena tanquam paschali tradita legimus, nobis consideranda sunt. Si coena paschalis fuerit, in iis, quae scriptores sacri narrant, aliqua ejus vestigia deprehendi posse non possumus quin opinemur.[49] Fuerunt, qui singula de coena illa ab evangelistis narrata coenae paschali congruere existimarent. Ita Iken in Dissert. XII, c. I, §. 14 benedictionem primi calicis a Luca 22, 47 memoratam,[50] manuum intinctionem

---

in vivis erant, Christianos Judaeorum dies festos religiose observasse constat, quod praecipue illis locis factum est, ubi major pars eorum, qui fidem christianam amplexi erant, e Judaeis fuerunt. Itaque dies eucharistiae institutae anniversarius propria religione non agebatur, sed memoria perpessionum et mortis Christi paschate Judaeorum, quorum ritus servabantur, colebatur. Nequaquam autem in illis controversiis de die, quo instituta esset eucharistia, vel quo Jesus mortem obiisset, agebatur, sed num dies festi paschatis omnino iisdem diebus simul cum Judaeis celebrandi essent, num jejunium ad diem paschatis producendum, utrum denique dies mortis Christi an resurrectionis summa religione agendus esset. Posteriori demum tempore, quum controversiae acerbius agi coeptae essent, ipsis in evangeliis differentiam quandam apparere afferebatur.

48) Sepp p. 382: „Für sich allein entscheidend aber ist schon die Erklärung des hl. Paulus im ersten Korintherbriefe V, 7."

49) Coenae paschalis ritus accuratius perscribunt Lightfoot: Minist. templ. l. c. 732; Hor. hebr. in Matth. 26, 26 sqq. Buxtorf l. c. Diss. VI. Jahn l. c. III, 311—312, Winer: Bibl. Realwörterb. (ed. 2.) II, 230—236. Friedlieb: Archäol. d. Leidensgesch., 54—58. Wichelhaus 249—252.

50) „Antequam ullius esus mentio injiciatur, Lucas c. 22, 17 memorat, quod Jesus sumto calice gratias egit. ... Convenit autem hoc consuetudini in coena paschali usitatae, ubi convivii praeses, antequam quicquam de cibo gustaretur, sumto poculo vinum consecrabat. — Hoc autem in coena vulgari minime obtinebat, ubi prius panis, dein vinum consecrabatur." Sed nihil cogit statuere, ipso initio coenae hanc

Matth. 26, 23; Marc. 14, 20; Joh. 13, 26,[51] sumtionem calicis (כוס הברכה, τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας I Cor. 10, 16), hymni cantationem ad coenam paschalem referenda esse censebat. Quum autem verba solemnia et precationes et vota, quae Christus hac occasione fecit, ab iis, quae libris Hebraeorum ritualibus praescribebantur, omnino diversa sint, nonnulli interpretes Christum coenam ita egisse paschalem statuerunt, ut ritus decretis praescriptos non stricte observaret, sed eos ad novae suae coenae institutionem mutatos atque ad perfectionem adductos redderet.[52] Quid, qui ut legem observaret coenam illam egisse existimatur, num ritus sacros violasse credendus est? Atque etiam, si ita res acta esset, fore putamus, ut certiora magisque manifesta et perspicua vestigia occurrant; certe plura quidem eorum, quae afferuntur, in aliis quoque

---

calicis sumtionem factam esse: quam ob causam Lightfoot eam cum tertii poculi sumtione confert, Minist. templ. p. 739.

51) „In hoc ritu clarissima coenae paschalis vestigia deprehendimus. In hoc enim, praeter alia fercula, apponebatur in tryblio embamma aliquod crassius, rabbinis חרוסת dictum, ex ficubus, avellanis, pistaciis, amygdalis aliisque fructibus, quibus et poma addebant, confectum, quae in mortario contusa aceto miscebant, injectis insuper longiusculis frustulis aromatum.“ Nulla autem re Embamma Charoseth ab evangelistis indicari certum est.

52) Movers l. c. VIII, 83 sq. Olshausen II, 385: „Der Herr fungirte unter den Seinen als der Hausvater und Priester, sprach die Gebete und Gesänge, brach das Brod und vertheilte die Becher Weins, faßte überall die sinnigen Gebräuche des Passahmahls in ihrer tiefsten Bedeutung und weihte sie zu heiligen Handlungen höherer Art.“ Ita fere Wichelhaus p. 252. Praecipue observanda sunt, quae animadvertit Friedlieb l. c. §. 20. Ceterum ab hoc viro doctissimo eorum sententia defenditur, qui Christum pascha die lege constituto comedisse et primo die festo mortem obivisse ex evangeliis explicant; cf. ejus liber: Geschichte des Lebens Jesu Christi, Breslau 1855, p. 132—147. Quod statuere cogitur, cum synopticos die quarto decimo Nisanis coenam paschalem ab Jesu habitam esse diserte affirmare existimet; cf. verba, quae p. 147 leguntur: „Ist demnach keine der betreffenden Stellen bei Johannes geeignet, sicher zu beweisen, daß nach Johannes Jesus am 14. Nisan gekreuzigt worden sei, so ist aller Grund vorhanden, nach der bestimmten Angabe der drei ersten Evangelisten den 15. Nisan als den Todestag des Herrn festzuhalten.“ Si a synopticis ita, ut contendit Friedlieb, diserte dies quartus decimus Nisanis significari videretur, eam viam ingredi non recusaremus. Vide infra.

conviviis locum habere potuerunt.[53] Qui vero omnia, quae de coenae novae institutione a prioribus evangelistis quaeque de coena ab Johanne commemorantur, coena paschali jam finita facta esse arbitrantur, impedimentis certe non minoribus laborant. Ut taceamus, verba ἐσθιόντων αὐτῶν Matth. 26, 26; Marc. 14, 22, et δείπνου γενομένου, Joh. 13, 2, non posse intelligi de coena jam peracta, ea, quae evangelistis testibus acta dictaque sunt, majus temporis spatium requirebant, quam post coenam paschalem supererat, quae ad mediam fere noctem produci solebat. Coena finita hymnus ab Jesu et apostolis dictus est; qui hymnus si erat Hallel (הלל) Judaeorum, in fine coenae paschalis, quae ante coenam novam habita esse eam opinionem defendentibus videtur, dicendus fuit;[54] atque quum cantatione hymni Hallel coenae paschalis finis fieri solitus sit, Judas, qui ante coenam finitam abiit, coenae paschalis caerimoniis ex parte tantum interfuisse videatur, si quidem coena illa paschalis legitima habeatur.[55] Accedit, quod non erat licitum, quidquam comedere post agnum comesum: ut sapor ejus in ore remaneret.[56] Quam rem etiamsi a Christo excipi potuisse concedendum sit, ad hanc tamen excusationem nisi necessitate coacti non confugiemus. Ad ea autem jam pervenimus, quae de coena tanquam paschali legitima apud synopticos leguntur. Diem enim, quo coena Christi suprema habita sit, fuisse dicunt primum azymorum atque disertis verbis Jesum coenam paschalem praeparari jussisse addunt. Matthaeus 16, 17—20 rem ita refert: die primo azymorum dis-

53) Cf. Buxtorfii Synag. Jud., ed. a Buxtorfio Fil., ed. 3, c. 12, p. 240 sqq.

54) Buxtorf Fil. in Diss. VI de Coena Domini, p. 325: „Quantumvis Christus sacram suam coenam post esum agni demum instituerit, fieri tamen potest, ut solitam hymni illius decantationem distulerit ad absolutam quoque coenam suam."

55) Tholuck in Joh. 13, 28: „Wo aber hat dann Judas das Passa genossen? Von der einen Tischgesellschaft zur andern sich zu begeben, ist eigentlich im Talmud verboten — wer weiß indeß unter welchen Clauseln und Exceptionen?" Rückert l. c. p. 27: „Wir wollen nicht fragen, ob denkbar, daß Judas nach geendigtem oder auch daß er bei währendem Passah ging: wer Judaswege geht, ist mit dem Maaße der Frommen nicht zu messen."

56) Lightfoot Min. templ. p. 738. Buxtorf. Fil. l. c. p. 357 sq.

cipulos dominum interrogasse, ubi coenam paschalem sibi parari vellet, et Jesum mandasse, ut ad quendam Urbis incolam adirent eique dicerent: Magister te certiorem facit, tempus mortis suae adesse; apud te cum discipulis coenam paschalem agere vult. Discipulos mandata exsecutos esse et coenam paravisse. Vesperi autem Jesum cum duodecim discipulis accubuisse. Similiter tradit Marcus 14, 12—17: Primo die azymorum, quo pascha mactabant (Judaei), discipuli Jesum interrogarunt: Ubi vis paremus agnum paschalem comedendum? et misit duos e discipulis, qui in Urbem irent; ibi hominem, cui occurrerent urceum aqua plenum gestanti, sequerentur et domino ejus domus, in quam ingressus foret, dicerent: Magister rogat: ubinam coenaculum est, in quo agnum paschalem cum discipulis comedam? Atque in conclavi superiori magno, quod ostenderetur, pararent coenam. Discipulos quod Jesus jussisset fecisse, omniaque ita, ut dixisset, invenisse et coenam paschalem paravisse. Vesperi autem Jesum cum discipulis eo venisse. Itemque Lucas 22, 7—14 tradit: quum adesset dies azymorum, quo agnus paschalis esset mactandus, ab Jesu Petrum et Johannem ablegatos esse, ut agnum pararent paschalem comedendum; tum eos abiisse et sicut dixisset omnia invenisse et pascha paravisse. Atque quum esset hora, Jesum cum duodecim apostolis accubuisse. Dies itaque, quo coenam paratam esse tres hi scriptores affirmant, fuit primus dierum temporis paschalis. Lex Mosaica praecipiebat, ut Israelitae die quarto decimo mensis primi agnum paschalem mactarent inter duas vesperas, בין הערבים, et illa nocte carnem igni assatam cum pane non fermentato et herbis amaris comederent; Exod. 12, 6. 8; Levit. 23, 5; Num. 28, 16; atque quinto decimo festus dies azymorum religiosissime ageretur et per septem dies panes azymi ederentur; Lev. 23, 6. 7. Sed Judaei etiam diem, quo coena paschalis parabatur, quartum decimum mensis Nisan dicebant diem primum azymorum; eo enim panes fermentarios in aedibus suis sollicitissime conquisitos comburebant, nec post meridiem ejus diei pane fermentato cuiquam vesci licebat.[57] Ita in libr. Exod. 12, 18

57) Lamy in Dissertat. de paschate Judaeorum l. c. lib. V. Bocharti Hieroz. II, 50, 2. Friedlieb l. c. §. 17.

dies quartus decimus mensis primi diebus azymorum adnumeratur, et Josephus Antiquitt. II, 15, 1; III, 10, 5; IX, 13, 3, azymorum solemnia octo dierum fuisse affirmat. Quum autem Jesum pascha legitimum non egisse ex iis, quae supra demonstravimus, pateat, synoptici his locis, quos modo attulimus, non quartum decimum diem mensis Nisan dicere videntur. Longum est, rationes maxime varias atque diversas difficultatem, quae inde oritur, amovendi et a quatuor evangelistis relata inter se conciliandi percensere. Lamy l. c. lib. V, c. 17 coenam et paratam et habitam esse statuit ineunte quarto decimo die, vespera igitur tertii decimi. Illa dies, verba ejus sunt, in qua erat necesse occidi pascha, jam venerat, nec tantum proxima, sed praesens erat, quando Apostoli accesserunt ad Jesum, ut scirent quo loco pascha parandum esset. Luc. 22, 7. Ipsi Apostoli, quod diligenter animadvertendum est, praeveniunt Jesum et admonent, instare tempus quo parandum erat pascha, loquentes procul dubio ex opinione et consuetudine Judaeorum. Misit Jesus duos Apostolos in Urbem et postea sequutus est eos, facto vespere adveniens. Statim qui missi fuerant, urbem ingredientes deducti sunt domum, in qua paratum locum invenerunt, ut nulla re probari possit ante serotinas horas feriae quintae sive ante solis occasum missos esse in urbem. Si tunc non inchoaretur decima quarta dies sed desineret, non dixisset Evangelista: venit autem, sed potius: cum abiret autem. Apostoli licet toties praemoniti ignorabant, Dominum passurum hac ipsa die paschatis quae incipiebat post occasum solis. Horum ignorantia sapienter usus est Dominus ad celebrationem verioris paschatis quod revera hac nocte fecit et comedit; cui rei congruebat sermo quo usus est, praecipiens discipulis, ut dicerent patri familias: Ubi est diversorium, ubi pascha cum discipulis meis manducem? Ita Lamy. Quae sententia, quod attinet ad diem, a plurimis quidem et prioris et recentioris aetatis interpretibus prolata est.[58] Nonnulli vero verba πρώτη τῶν ἀζύμων idem significare atque ἡμέρα προτέρα s. πρὸ τῶν ἀζύμων et diem esse ante diem primum azymorum explicabant e graecismo aliis locis

58) Vide Calmeti Dissertat. de novissimo Paschate D. N. J. Chr. Opp. (ed. Mansii) t. VII, p. 55—62.

occurrenti:[59] Alii verbo ἦλθε Luc. 22, 7 significari putabant: quum prope esset s. appropinquaret.[60] Diem primum azymorum, Matth. 26, 17; Marc. 14, 12, esse diem quartum decimum Nisanis ineuntem vel vesperam diei tertii decimi scribit Movers; qui quum appropinquaret, nondum adesset, ἦλθε, Luc. 22, 7, Jesum discipulis ut coenam paschalem pararent mandavisse eademque vespera cum discipulis in domum quandam ad pascha agendum convenisse. Quod Jesum, etsi lege Mosaica vetitum fuerit, fecisse, quum novam suam coenam instituere cuperet; veteri lege in futurum neminem teneri eum indicare voluisse, quare minimi ejus interfuisse, ut agnus, quem comesuri essent, in atrio templi mactaretur. Jesum autem coenam paschalem agere voluisse inde quoque intelligi, quod in Urbe eam institui jusserit, quamquam inimicos sibi insidiari sciret, atque e loco remoto, quo se recepisset, ad eam agendam nocte appetente prodierit et in domum se contulerit, quam cautus discipulis, in quorum numero Judas Iscariotes adhuc esset, non aperte significavisset.[61] Interpretatio verbi ἦλθε, quam probat Movers, omnino rejicienda est, utpote quae omni fundamento careat; quum dies ἦλθε, saltem ejus initium aderat. Sed etiamsi ita verbum interpretari liceat, non magis difficultates tolluntur, quam si illam, quam proposuit Toinard, interpretationem verborum πρώτη τῶν ἀζύμων non minus quaesitam accipiamus. Quod Movers coenam paschalem ineunte quarto decimo die mensis habendam eadem vespera, qua Christus eam egerit, parari coeptam esse cum Lamyo et Toinardo arbitratur, probabile non habemus; quamvis enim prope fuerit domus et facile potuerint coëmi et apportari, quae essent necessaria, tamen temporis spatium ad ea comparanda satis magnum fuisse non videtur. Accedit, quod azyma, sine quibus pascha non agebatur, nondum parata erant; ea vespera

---

59) Dubitant Toinard in Harmon. Evangg. Paris. 1707, p. 149 et Calmet in Matth. 26, 17 et in Luc. 22, 7. Denuo eam explicationem defendere adgressus est Paschke in: Tüb. Theol. Quartalschrift, 1851, 3. Qu.-H., p. 410 sqq.

60) Chrysostomus. Theophylactus. Euthymius. Salmeron. (Calmet.) Movers. Weitzel (die christliche Passahfeier der drei ersten Jahrhunderte. Pforzheim 1848, p. 322).

61) Movers l. c. VIII, 71. 72. 74. 76. 77. 86.

aqua hauriebatur tota nocte domi asservanda ad panem azymum postridie ejus diei mane parandum.[62] Quid igitur tam obnixe contendit Movers, pascha legitimum a Christo actum esse, quum pro certo habeat, nemini Judaeorum ante vesperam diei quarti decimi exeuntis agnum paschalem cum azymis comedere licuisse atque Jesu, ut legem observaret, non multum interfuisse, qui coenam eo consilio haberi jusserit, ut eucharistiam institueret?[63] Jesum propter metum furoris inimicorum loco remoto se tenuisse et demum tenebris subortis in Urbem venisse ait; cur Jesum ad coenam agendam, nisi haec fuerit paschalis legitima in Urbe habenda, eo venisse?[64] Quid, nonne Lucas Dominum interdiu in templo de rebus divinis dicere et nocte in Montem Olearum secedere consuevisse eamque consuetudinem postremis his diebus retinuisse testatur, c. 21, 37; 22, 39? Ex quibus verbis id potius colligi posse existimamus, Jesum primo mane, quum nondum ipse in Urbem esset intraturus, discipulos ad mandata exsequenda Hierosolyma misisse. Certe autem insidiarum metus eum prohibuisse videtur, ne nomen domini aedium ederet; etsi eum hac in re Judae se produturi aliquam rationem habuisse non omnino negaverim, potissimum tamen eum id fecisse arbitror, ut quantumvis posset in occulto sacram suam coenam ageret et cum suis noctem supremam transigeret; qui cum Moversio sentiant, dicere debent: ne in paschali coena illegitima agenda deprehenderetur. Atque, si ita res acta esset, mirum videretur, quod Judaei ab Iscariote edocti inter crimina, quae in Jesum postridie contulerunt, hoc praetermiserunt. Denique quo pacto hanc coenam anticipationem dicere possimus coenae paschalis legitimae? Nisi facta est modo lege praescripto, coena non fuit vera paschalis. Quod etiam Seppio respondendum est, qui in priori editione libri de vita Jesu Christi non sine sui jactatione hanc quaestionem instituit: Jesum agnum in atrio templi vel in ipso coenaculo mactari jussisse opinatur eumque, quamquam ejus crura fracta

---

62) Quem morem indicari iis, quae Marcus 14, 13 et Lucas 22, 10 tradunt de homine urceum aqua plenum gestanti, opinatur Toinard l. c.; hunc secutus esse videtur Sepp l. c. 381.

63) Movers l. c. p. 73. 86.

64) Movers l. c. p. 76 sq.

esserit, in coena cum discipulis comedisse.[65] Non opus est, pluribus docere, sic futurum fuisse, ut Jesus pascha legitimum nequaquam ageret atque etiam contra legem faceret. Cur autem eo confugiamus, ut in Christum, quem praedicat Apostolus *γενόμενον ὑπὸ νόμον* Gal. 4, 4, tale quid conferamus? Atque contra, si legem observari noluit, quid coenam legitimam anticipaverit? Num sacri scriptores coenam fuisse paschalem legitimam affirmant? Minime ita coenam ab iis describi supra ostendimus. Ad ceteras res, quae apud synopticos leguntur, satis explicandas ea, quae ab Hugio viro et ingenio et doctrina eminentissimo proposita sunt,[66] viam veram monstrare nobis videntur. Magna pars Judaeorum Galilaeam incolentium diem, qui paschatis diem festum primum praecedebat, Nisanis quartum decimum eadem religione observabant, qua diem festum, ob eamque causam die tertio decimo panem fermentarium auferebant; eo itaque die pane fermentato removendo azyma, quibus tamen ante meridiem diei quarti decimi non vescebantur, praeparandi initium quum fieret, dies tertius decimus primi mensis poterat dici *ἡ πρώτη τῶν ἀζύμων*, *ἡ προπαρασκευὴ* Judaeorum erat Galilaeorum *παρασκευή*. Etiamsi vespera paschatis, ערב פסח, non fuerit *νυχθήμερον*, multi tamen, ut e loco Pesachim IV, 5 patet,[67] etiam

---

65) L. c. p. 386: Verba ejus sunt: „Diese kleine Schwierigkeit weiß ich nicht anders zu heben, obwohl ich mich zur Lösung dieser Frage im Besitze von ungleich mehr Mitteln befinde als Alle vor mir: es sei denn durch die Entscheidung, daß die beiden abgeordneten Jünger, die Stelle des Hausvaters vertretend, das Lamm auch nicht einmal im Atrium schlachteten noch schlachten ließen, sondern kraft der Vollmacht des Herrn ganz allein im Cönakulum bereiteten, und d i e ß i s t m e i n e U e b e r z e u g u n g." Iis, quae subjungit: „Dieß ging um so mehr an, da am Ostertage, wie Philo insbesondere hervorhebt, jeder Einzelne, vermöge der Separatschlachtung, als Priester angesehen war", res incerta re non minus dubia fulcitur; recte enim dubitatur, num haec Philonis verba, quibus contraria scriptores et sacri et profani tradunt, ad ritus in templo Hierosolymitano observatos referenda sint. Editio nova huius libri in manus meas non venit.

66) Einleitung II, §. 60. Gutachten l. c. IX, p. 19—29. Cuius sententiam assensione comprobavit Ad. Maier: Comm. üb. d. Ev. Joh. II, 281.

67) Movers l. c. 64; Hug: Einleit. (ed. 3) II, p. 224, Gutachten l. c. p. 21.

nocte diem praeparationis praecedenti opus fieri vetabant. Quae opponit Movers,[68] Hugianam confirmationem non diluunt; ea enim, quae ab aliqua parte Judaeorum facta esse inde apparet, cum ceterorum atque multo plurimorum Judaeorum more ille miscet. Nulla vero ratione probari potest, isto Galilaeorum more factum esse, ut agni mactatio atque etiam comestio a multis jam vespera diei quarti decimi ineuntis fieret.[69] Quum itaque dies quartus decimus a parte quadam Judaeorum totus festus haberetur, iis jam vespera diei tertii decimi dies festi azymorum, qui dicebantur, incipiebant. Apostolos autem Galilaeos, qui diem quartum decimum eadem religione atque quintum decimum observarent, tertium decimum, qui erat illorum παρασκευὴ ejusque vespera azymorum initium fiebat, πρώτην ἀζύμων appellavisse, quum eos, ut hac appellatione uterentur, id quoque adduceret, quod doctrinam christianam gentilibus commendantes diei civilis a mane ad vesperam computandi morem Graecorum et Romanorum sequerentur oportebat, quid probabilius? Ita ea dicendi ratio e more illo Galilaeorum nata causa exstitit diem priorem posteriori confundendi. Unde factum est, ut scriptores sacri traditionem Galilaeorum evangelio Matthaei perscriptam sequentes, Marcus et Lucas, qui coenae non interfuerant, verbis πρώτῃ τῶν ἀζύμων definitionem illam adderent, quae non Galilaeorum, sed ceterorum Judaeorum diem appellandi rationi conveniebat, Marc. 14, 12: ὅτε τὸ πάσχα ἔθυον, Luc. 22, 7: ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα.[70] Atque eadem dicendi ratione factum est, ut plurimi eorum, quibus evangelium traditum est, in diem quartum decimum Nisanis conferrent, quae pridie ejus

68) Movers l. c. 73. 85.

69) Quod opinatus est Harduin in tract. de noviss. pasch. J. Chr. Cf. Calmet l. c. p. 55. Besange l. c. p. 597 sq.

70) Non accipienda est verborum explicatio, quam profert Hug: Einleit. II, 295, Gutachten l. c. p. 22: „Wer sind sie, die das Pascha schlachteten? Sollte es heißen: wo die Judäer das Pascha schlachteten? Von ihnen ist im Satze des Markus die Rede nicht; es sind die Jünger, μαθηταί, welche am nemlichen Tage, wo sie fragten, auch das Osterlamm schlachteten. Auf gleiche Weise verhält es sich mit den Worten des Lukas 22, 7." Cf. Adalb. Maier l. c. p. 282: „Das Subject von ἔθυον sind die Juden, nicht die Jünger, was aus ἔδει bei Lukas deutlich erhellt, welches sich auf die gesetzliche Vorschrift bezieht."

diei acta sunt. Quid autem? Nonne erroris arguimus hos evangeliorum auctores? Immo eos verissime scripsisse contendimus. Definitione illa addita non tam tempus, quo coena instituta sit, definire volebant, quam qui fuerit apud Judaeos primus asymorum[71] significare; quid autem verius, quam diem primum azymorum Judaeis fuisse diem, quo agnus mactari soleret? Quum modo hac modo illa ratione res enarrarentur, facillime poterat fieri, ut alteram ab altera non dignoscerent et aliorum de illis rebus traditiones ratione aliis Judaeis consueta explicarent. Qua de causa scriptores sacros hac in re omnino nihil commisisse statuimus, quam ut moris Galilaeorum ratione non habita verba πρώτη τῶν ἀζύμων definirent; quem morem sive non cognoverunt sive neglexerunt, id non in eorum errorum numero ducendum est, quorum suspicione sacros scriptores absolvi volumus. Qua in re vix quemquam offendere posse arbitror.[72] Sed tamen quaedam opponi posse videntur. Quis enim ipsos apostolorum discipulos res, quae tempore supremi Christi paschatis acta essent, cognitas habuisse et certis auctoribus comperisse negabit? Atque apostolos ipsos evangelia a discipulis conscripta adprobasse rerum christianarum scriptores vetustissimi affirmant. Ad quae non respondemus, fieri potuisse, ut apostoli, quum recenserent evangelia a discipulis conscripta, aliena verba

---

71) Quod dicit Lucas: ἡμέρα ἐν ᾗ, idem est atque quod Marcus scribit: πρώτη ἡμέρα ὅτε. Constat, Marcum et Lucam, ut eorum Christianorum, qui non erant natione Judaei, commodis servirent, pluribus locis definitiones subdidisse, quae essent quasi verborum explicationes sive interpretationes.

72) Cum iis autem litigandum non putamus, qui in interpretes suspiciones conferre sui negotii esse ducunt. Quod contra V. D. de sacrarum litterarum interpretatione meritissimum Adalb. Maierum facit presbyter quidam Monasteriensis, cui nomen Giese, in libello, qui inscribitur: Erörterung der Streitfrage über den Gebrauch der Azyma, Münster 1852, p. 57. De die, quo coena habita sit, sententiam eandem, atque Wichelhaus et Patritius, defendit Giese rationibus et argumentis iis, quae affert Wieseler in scripto: Chronolog. Synopse der 4 Evangel. Ut interpretationis ejus specimen exhibeamus, verba ev. Joh. c. 13, 1 sqq. componendi rationem Wieselerianam, qua vix quidquam est coactius quaque verborum sententia aliena quaedam atque inanis efficitur, sine ulla dubitatione recipit atque haec subdit verba: „Nach dieser einzig zulässigen Satzconstruktion fällt jene Einwendung" &c. p. 49. Cf. quae supra p. 37 diximus.

praeterirent et evangeliis, quae apostolis pluribus jam defunctis in lucem edita sunt, nonnulla postea ab iis, qui apostolos audivissent, adderentur. Sed illud monendum videtur, priores tres evangelistas in tempore, quo quaeque facta essent, definiendo et rerum ordine describendo non aeque diligenter et accurate versatos esse atque Johannem, qui praecipue ut complura ad tempus rerumque ordinem pertinentia perscriberet evangelium conscripsit. Cur autem Johannes, quem priora tria evangelia ante oculos habuisse certissimum habemus, ita scripsit, ut nemo non videat discrepantiam quandam esse in supremo paschate describendo? Cur apostoli illi ea corrigere supersederunt? Id igitur teneamus oportet, synopticorum maxime interfuisse, ut, quae ab apostolis praesenti sermone Christianis tradita sunt, literis mandata memoriae proderent et orationes ab apostolis de divinis rebus habitas, quatenus de vita Jesu agerent, complecterentur; atque etsi quendam rerum ordinem servabant, hunc tamen non esse tam accuratum et exactum quam Johanneum liquet.

Quae explicatio ab iis profecta, quae de quorundam Judaeorum dies festos paschales computandi more tradita sunt, optime confirmatur narratione, quae apud evangelistas legitur. Diei tertii decimi tempore matutino Jesus duos discipulos cum mandatis in Urbem misit. Quum variae res essent comparandae et instituendae atque in maximo hominum concursu cautio esset adhibenda, non praematura fuit interrogatio illa prima apostolorum de paschate praeparando et agendo; et Jesus, qui non ignorabat, quae jam essent eventura, rem eo minus differri voluit, quod coenam ejus diei pro coena paschali habere cupiebat. Lucae auctoritatem si sequamur, initium sermonis illius non ab apostolis sed ab Jesu factum est, Luc. 22, 8. 9, quod etiam opportunius videatur. Ubi mandavit, ut pascha pararent, certe pascha diei posterioris dixit. Quid vero quod priori loco a Matthaeo 26, 18 verba illa traduntur, quibus coenam die tertio decimo exeunte habendam indicari supra explicuimus? Nonne inde apparet, duo mandata apostolis fuisse persequenda? Verborum illorum sententiam hanc esse colligimus: instruite convivium, quod agamus hodie, et domino domus ut fieri patiatur dicite: tempus Magistri adesse ideoque rem non esse differendam; simulque apparate,

quaecunque ad coenam paschalem vespera diei crastini habendam, hodie comparara oportet. Et vespera illius diei Jesus et discipuli ad coenam convenerunt, quae, etsi vulgaris erat et quotidiana, rebus quibusdam propriis et singularibus prae ceteris omnibus insignis reddita est. Quod Hierosolymis habita est, in Urbe sacra, ubi sanguinem suum esset fusurus, non sine aliqua causa graviori factum putamus; porro illa vespera ab Judaeis pars temporis paschatis habebatur: jam aderat dies, quo sacra facere omnis gens recutita jubebatur. Ita coena et loco et tempore consecrata erat eximie opportuna atque idonea ad ea, quae tradita legimus, conficienda. Jesus quum ad horam in certum locum venisset, priusquam cibos sumere coeperunt, convivis jam supremam se coenam acturum esse indicavit. *Ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα τοῦτο τὸ πάσχα φαγεῖν μεθ' ὑμῶν πρὸ τοῦ με παθεῖν* Luc. 22, 15. Maximo desiderio se flagravisse dixit coenae cum eis agendae paschalis verioris; die enim crastino habendae se non interfuturum; Luc. 22, 16. Graves sibi horas instare, magna pericula discipulis esse subeunda; cf. Luc. 22, 35—38. Ad primi calicis sumtionem solito more Judaeorum Deo laudes et grates egit iterumque prope abesse horam, qua hinc esset migraturus, affirmavit; sed regnum Israel novum propediem se restituturum esse pollicitus est; Luc. 22, (16.) 17—18; Matth. 26—29; Marc. 14, 25. Contentione inde exorta, quum jam coenarent, Jesus de coena surrexit et pedes discipulorum lavit; Luc. 22, 24—30; Joh. 13, 4—17; quo facto ita, ut demonstravimus, dum coenare pergit, Judam se proditurum ter indicavit eumque ut e domo abiret adduxit. Joh. 13, (14.) 18—30; Matth. 26, 21—25; Marc. 14, 18—21; Luc. 22, 21—23. Tum demum suis, quaecunque sentiebat, effudit et coenam sacratissimam instituere et veriorem agnum paschalem comedendum sanguinemque, quo novum suum foedus sanciretur, potandum eis porrigere adgressus est. Atque discipulos admonuit, ne quando eam coenam in futurum agere desisterent utque in ea sui memoriam colerent; Joh. 13, 31 sqq.; I Cor. 11, 24—26; Luc. 22, 19—20; cf. v. 15; Matth. 26, 26—28; Marc. 14, 22—24. Subsecuti sunt sermones, monita, praecepta, promissiones, precatio illa mira et sublimis et solemnis, quam Johannes memoriae prodidit. Joh. c. 14—17; Matth. 26, 31—35; Marc. 14, 27—31; Luc. 22,

21—34 (35—38). Jesum aliqua ex parte in iis, quae egit, ad ea se applicuisse certissimum videtur, quae in coena paschali agenda observare decretis Judaei jubebantur. Ad eos ritus Dominus precationibus factis et hymno ante egressum in Montem Olearum cantato aliquantum respexisse videtur. Praeterea huc referri potest, quod discipulorum pedes coena jam coepta lavit; in coena enim paschali post primi calicis sumtionem pater familias manus lavabat itemque post poculum secundum exhaustum. Ita ad normam eorum, quae in coena paschali legitima agi debebant, fieri poterat, ut sumtione et communicatione calicis initium coenae fieret. Atque etiam verba: ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα τοῦτο τὸ πάσχα φαγεῖν μεθ' ὑμῶν, respectu ad illos ritus habito dicta esse verisimile habemus; patinis enim in coena paschali appositis pater familias haec dicebat: „Hoc est pascha, quod comedimus, quia Dominus transiit supra domos patrum nostrorum in Aegypto." Qua occasione Dominus se ipsum esse agnum paschalem veriorem declaravisse et coenam, quam agere instituisset, paschalem praedicavisse videtur. Et quum suam carnem suumque sanguinem discipulis dedisset, eos admonuit, ut aeternam sui memoriam servarent, habita fortasse ratione moris illius, quem religiosissime observabant Judaei in coena paschali, ut res mirabiles, quae temporibus antiquis Deo juvante gestae essent, laudibus efferrent.[73] Quod vero attinet ad eucharistiae institutionem, eorum rituum respectu habito eam a Domino factam esse, nihil est cur existimemus.[74] Ita factum est, ut coena Christi suprema praedicaretur ut coena paschalis; impleta fuerunt, quae et typis et vaticiniis significata erant atque sanguis Christi eadem fere hora, qua agni mactabantur, pro hominum salute profusus est. Primum igitur, ut a synopticis narrata intelligamus, observari necesse est, a Christo tertio decimo die mensis, qui erat dies Jovis, discipulis mandatum esse, ut et hujus et posterioris diei coena pararetur. Quae

73) Cf. not. 49.

74) Carpzov l. c. p. 373: „Licet Servator unam vel alteram benedictionem adhibuerit, patriis gentis moribus haud absimilem, longe tamen augustius est Sacrae coenae mysterium, quam quod a Judaeorum hauserit instituto."

mandata quod non satis sejuncta appareut, non mirum videtur. Quum enim coena altera a Christo acta non esset, apparatio coenae paschalis universe memorari consuevit; atque cum priori altera acta est, ut duo mandata facile potuerint confundi. Quid autem? Nonne e narratione, quae est in evangelio Matthaei, satis elucet, ab apostolis mandata esse disjuncta? Unde explicandum putamus, quod coenam paschalem legitimam non omnino silentio praeterierunt, atque mandatum alterum propterea magis praedicatum esse existimamus, quod ea coena habita, quam illi scriptores diserte memorant, alterum quoque perfectum esse docere voluerunt. Accedit, quod apostoli in orationibus, quibus res a Christo peractas enarrabant, unius coenae mentionem faciebant nec mandata illa, etsi de iis commemorarent, planius disjungere necesse habebant. Id nempe apostoli summopere ubique praedicabant, Jesum esse Christianorum pascha immolatum, I Cor. 5, 7, oblationem et sacrificium Deo gratissimum, Ephes. 5, 2, hunc esse agnum vitio et macula carentem, cujus sanguine redemti essemus, I Petr. 1, 19; cf. Joh. 19, 36; 1, 29. 36. De una tantum coena agunt, qua habita coena paschalis legitima quodammodo anticipata est, atque in priorem posterioris notionem speciemque conferunt scriptores, qui non tam id spectabant, ut tempus resque gestas accuratius perscriberent, quam ut res veteres a Christo ad perfectionem adductas esse praedicarent. Coenae igitur paschalis legitimae anticipatio, quam nos statuimus, omnino ab ea differt, quam plurimi scriptores statuunt; atque etiam eam non dici anticipationem, nihil moror, quum eae res, quae coenae paschalis propriae erant, agnus et azyma in ea locum habere non potuerint. Et profecto, qui comprehendi possit, quod apostoli, qui illa vespera non cogitabant, Christum tam brevi decessurum esse, in ea re non offenderint nec anticipationem mirati sint? Fac etiam, eos nescio qua ratione agnum cum azymis comedere potuisse: num vespera posteriori iterum agnum paschalem ab iis comesum esse credamus? Praeter Lamyum et Toinardum praecipue Calmet sententiam, cui assentimur, proposuit; quam etiam confirmari ostendit more Graecorum, qui in coena eucharistica celebranda ex antiquissimis temporibus pane fermentario utuntur, quum ex quo tempore azymorum usus in ecclesia viguerit non ita

certo possit colligi.[75] Qui mos etsi ab aetate apostolica repetendus sit, nullo tamen modo inde id quod vult Calmet effici posse arbitramur. Ea in re si apostoli exemplum Christi secuti esse viderentur, utique interpreti illi accedere cogeremur; non enim qui factum esset, ut posteriori tempore Christiani ab illo more, quem apostoli Christi auctoritatem secuti tenuissent, recederent, intelligeremus.[76] Contra facilius quae fuerit causa, quod azyma usu reciperentur, etiamsi et Christus et apostoli pane fermentario usi essent, intelligi cum Mabillone sentimus, qui fieri potuisse dicit, ut ab ecclesiae primae antistitibus usus azymorum, quod Christum ea adhibuisse putarent, in eucharistia celebranda induceretur.[77]

---

75) Calmet l. c. p. 60: „Vetus etiam consuetudo adhibendi panis fermentati in sacrificio altaris, postremum est, quo sententiam hanc fulcimus, argumentum. Vetustissimum hunc esse in Oriente morem, satis constat" cet. Calmetum secutus est Deyling l. c. p. 274.

76) De opinione eorum, qui ab ecclesia panis fermentarii usum, quum Ebionitae ad mysteria sacra panes azymos adhibendos esse docerent, inductum esse, postea vero ecclesiam ad consuetudinem priorem rediisse statuerunt, cf. Calmet l. c. et J. Koessing: Liturgische Vorlesungen üb. d. h. Messe (ed. 2. Regensb. 1856), qui haec scribit p. 378: „Der heil. Thomas von Aquin, Cortesius Brana u. A. behaupten, die Griechen sowohl als die Lateiner hätten zuerst nur ungesäuertes Brod gebraucht, beide seien aber durch die Ebioniten veranlaßt worden, gesäuertes an dessen Stelle treten zu lassen. Nachdem die Häresie der Ebioniten aufgehört habe, die Kirche zu beunruhigen, seien die Lateiner zum ursprünglichen Gebrauche zurückgekehrt, — die Griechen aber haben den des gesäuerten beibehalten. Nur Schade, daß diese Behauptung bloß den Werth einer Vermuthung ansprechen kann, weil sie nicht ein einziges Zeugniß des christlichen Alterthums für sich hat."

77) In dissertatione de pane eucharistico azymo et fermentato, p. 29; cf. p. 31 sq. Cf. etiam Natalis Alexandri hist. eccl. (ed. Paris. 1714) tom. VI, Diss. XI in hist. eccl. saec. XI et XII: De azymorum usu in confectione eucharistiae adv. Graec. schismat.

Corrigenda. Pag. 25, lin. 6 leg.: transitus ad. p. 27, l. 16: Tillemontio. p. 33, not. 1: scriptorum; et paullo infra: ceteri referant. p. 37, n. 9, l. 2: verba π. τ. ξ. p. 39, l. 14: 22, 18 rel. p. 46, l. 22: quum autem. p. 53, lin. 21: perturbarent; l. 24: metuebant. p. 56, l. 30: videatur.